C S H

1610

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-247461-p0001-2

Sammelbd

Schw

LB:00 Jelg

U.o.163

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-247461-p0002-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-247461-p0003-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-247461-p0004-8

COMMENTARIA

# IN TITVLVM XXXII. LIBRI IIII. CODICIS, QVI INSCRIBITVR

# De Vſuris.

*AVTHORE*

IOHANNE BORCHOLTEN Luneburgenſi.

*Editio tertia, prioribus emendatior.*

*Cum gratia & priuilegio Cæſareæ Maieſtatis ad annos quindecim.*

*HELMAESTADII*

*Excuſa per Jacobum Lucium,*

*Impenſis heredum Ludolphi Brandeſii ſenioris. Anno M. D. XCVI.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-247461-p0005-4

# AMPLISSIMIS ET CLARISSIMIS VIRIS, DOMINIS CONSVLIbus & Senatoribus Reipublicæ Roſtochienſis, dominis & amicis ſuis

IOHANNES BORCHOLTEN Luneburgenſis S.

EXpoſui ſuperioribus diebus inſignem titulum Codicis de vſuris. Et cùm ſtudioſi ſua frequentia, aſsiduitate, & conſtantia in me audiendo teſtati ſint, labores meos in huius tituli explicatione ipſis non ingratos fuiſſe, non difficilẽ me illis præbui, qui ſuaſores & hortatores mihi extiterũt,

vt quæ in ſchola auditoribus propoſuiſſem, ad multorum vtilitatem in publicum ederem. Nec puto quenquam futurum, qui hoc factum iure reprehendere poſsit, cùm laudandi magis, quàm vituperandi ſint, qui de ſuis laboribus quoscunque iudices ac cenſores ferre poſſunt. Sub veſtro autem nomine, Ampliſsimi Conſules, Senatores clariſſimi & optimi, hos meos labores in publicum prodire cupio. Cauſæ, cur id faciam, permultæ ſunt, ex quibus nonnullas me hîc referre ſinite, quæſo. Cùm per annos

ferè quindecim iuri ciuili operam dediſſem. & ex Gallia redirem, vos me confeſtim in veſtram Academiam liberali ſtipendio vocaſtis, ac dignum cenſuiſtis, qui ſtudioſam apud vos iuuentutem erudirem. Et cùm iam antè mihi relatum eſſet, Iohannē Oldendorpiū & alios complures eruditione inſigni præſtantes viros, in veſtra Academia iura profeſſos eſſe, onus adoleſcenti mihi à vobis iniunctum grauius videbatur, quàm vt ſuſcipi à me deberet. Sed vicit authoritas veſtra, cui plus tribuendum

 duxi,

duxi, quā mihi ipſi. Sic enim cogitaui, ſi expectationi veſtræ non ſatisfacerem, vitio id mihi minus verti poſſe, quàm ſi authoritatem veſtrā reſpuerem. Dubitanti mihi adhuc, vtrùm opera mea ſcholaſtica vobis probaretur, præter omnem expectationem ampliſsimum in veſtra Republica Syndici munus mihi obtuliſtis, quod diu multumq́; recuſaui, tandem tamen, vobis inſtanter negotium vrgentibus, ſuſcepi. Et ex illo tempore non ceſſaſtis beneficiis me cumulatim ornare, quæ ego proxlixius hîc refer-

referre nolo, ne inuidis & obtrectatoribus veſtris, quos complures habere vos ſcio, adulari vobis videri poſſem. Interim nihilominus beneficiorum in me collatorũ memoriam conſtanter ſeruabo. Ac vt huius rei argumentum habeatis, meas de vſuris lucubrationes ad vos mitto, easq; ſymbolũ eſſe volo mei in vos amoris & gratæ mentis. Fateor pro magnis beneficiis leuidenſe hoc eſſe munuſculum. Sed cùm viris grauibus & prudentibus gratus animus placeat, veſtras Amplitudines, id quod à me vo-

vobis offertur, quale quale eſt, benigno vultu ſuſceptu-ras omninò confido, idq́; vt faciatis, vnicè à vobis peto Benè valete ampliſsimi viri, & quem præſentem dilexi-ſtis, abſentem amare pergite.

Datum Helmæſtadij in Il-
luſtri Iulia Academia
XIIII. Februarij
Anno 1583.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-247461-p0012-3

# DISTRIBVTIO HVIVS TRACTATVS IN CERTA CAPITA.

QVoniam de vſuris dicere conſtitui, vt vobis quid à me expectare hîc debeatis, conſtet, & ego intra metas certas me contineam, potiſsimùm explicabo titulum 32 lib. 4. C. de vſuris. Huic titulo reſpondet in Pandectis titulus primus libri 22. qui ſimiliter de vſuris inſcribitur. Sed hic titulus tantùm de vſuris eſt, & de antichriſi, quæ vſurarũ vicem

 cem

cem obtinet: ille non ſolùm de vſuris, verùm etiã de fructibus, cauſis, omnibus acceſſionibus & mora, ſicuti inſcriptio in Pandectis indicat. Capita autem, de quibus agemus, hæc ſunt. Primùm, ex Imperatorum reſcriptis colligemus definitionem vſuræ. Deinde dicemus quotuplex ſi vſura. Tertiò, quibus ex cauſis vſura debeatur. Quartò, quis ſit legitimus vſurarũ modus. Quintò, quibus pœnis afficiantur, qui ſupra modum legibus præſcriptum vſuras exigunt. Sextò, de antichriſi. Septimo & vltimo lo-

co explicabimus, quando vſura itemq; antichriſis deberi deſinant. Deus incœpto noſtro faueat, vt quæ meditati ſumus, dextrè explicare poſſimus.

## CAPVT PRIMVM DEfinitionem vſuræ continens.

1. *Quidam contendunt vſuras iure diuino, naturali & ciuili eſſe prohibitas.*
2. *Indicantur loca ſacræ ſcripturæ, quibus vſuræ prohibentur.*
3. *Quidam volunt vſuras iure diuino prohiberi, non lucri cauſa eius qui dedit pecuniam, ſed ne proximo noceatur.*
4. *Vſuræ iure diuino prohibentur, Imperatoribus teſtantibus.*
5. *Ius diuinum prohibet duntaxat vſuras pecuniæ creditæ ſiue mutuo datæ, nec in genere vſuras damnat.*
6. *Iure naturali vſuras illicitas eſſe Philoſophi affirmarunt.*
7. *Variis argumentis Philoſophi vtuntur.*
8. *Primum Philoſophorum argumentum.*

9. Secundum Philoſophorum argumentum.
10. Tertium Philoſophorum argumentum.
11. Quartum Philoſophorum argumentum.
12. Quintum Philoſophorum argumentum.
13. Sextum Philoſophorum argumentum.
14. Septimum Philoſophorum argumentum.
15. Octauum Philoſophorum argumentum.
16. Multi ex Republica vſuras extermina͡runt.
17. Vſuræ iure ciuili non ſunt prohibitæ.
18. Primum argumentum, quo multi oſtendere conantur, vſuras iure ciuili eſſe prohibitas.
19. Secundum argumentum.
20. Non peccat qui vſuras accipit.
21. Vſura ab vſu nomen habet.
22. Vſus interdum ſignificat χρῆσιν, interdum vſucapionem.
23. Vſura aliàs impendium dicitur.
24. Vſura nihil aliud eſt quàm acceßio ad ſortem.
25. Acceßionis verbum latißimè patet.
26. Sors ſiue quantitas non tantùm nummos ſignificat, ſed vinum quoque oleum, frumentum.

Quo-

27. *Quomodo intelligendum ſit quod dicitur, pro veſte vſuras promitti & ſolui.*

28. *Item pro ſtatuis vel imaginibus.*

29. *Definitio vſuræ non cadit in id quod intereſt.*

Operæ pretium eſſe videtur, antequam ad definitionem vſuræ accedamus, paucis inueſtigare, vtrum vſura, iure diuino, vel naturali, vel etiam ciuili ſit prohibita. Nec enim deſunt, qui omni iure vſuras interdictas eſſe contendunt. *Matthæ. de Afflict. in conſtitution. Neapolita. lib. 1. Rubric. 6. de vſuris puniendis. Conarru. lib. 3. variarum reſolutio. cap. 1. Iulius Clarus in 5. ſenten. in §. vſura. Andreas Geiel lib. 2. practic. obſeruatio. obſerua. 5. num. 5. Hieronymus Schurff conſi. 3. & conſi. 50. in 2. centu. Henningus Göde conſi. 109. num. 67. cum multis ſequenti.* Et ſanè iure diuino vſuras prohibitas eſſe, multa oſtendunt ſacræ ſcripturæ loca. Nam *Exodi 22.* traditum eſt: Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum, nec vſuris opprimes. & *in Leuitico cap. 25.* ſcriptum

ſcriptum eſt: Pecuniam tuam non dabis ei fœnori *Deuteronomij 23.* Non fœnerabis fratri tuo pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem. *Ezechielis 18.* Qui ad vſuram dedit & amplius accepit, non viuet. & rurſus 22. Vſuram & ſuperabundantiam accepiſti. *Pſalmo 14.* Quis habitabit in tabernaculo tuo? qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuras, *& Pſalmo 54.* Non defecit de plateis eius vſura & dolꝰ. Et quamuis nonnulli exiſtimant, ſupradictis & ſimilib. ſacræ ſcripturæ teſtimoniis, vſuras prohiberi, non lucri cauſa eius qui dedit pecuniam, ſed ne proximo noceatur, ne illum vexemus, ne lucri noſtri cauſa ipſi noceamus. *Carolus Molinæus, Hugo Donellus, & Petrus à VVel in tractatib. de vſuris*: tamen diſtinctio illa, à verbis Sacræ ſcripturæ aliena eſſe videtur. Ac rectius nos, verbis ſacræ ſcripturæ inhærentes, dicemus: Iure diuino, indiſtinctè, ſiue proximo noceatur ſiue non noceatur, vſuras prohibitas eſſe: atq; ita ſacratiſsimus Imperator Baſilius *apud Harmenopulum lib. 3. Epito. iuris, titulo 7. de vſuris* cenſuit. Ibi. n. Imperator ita inquit. Etſi maiorum noſtrorũ plerisq; viſum eſt,

toleran-

tolerandam eſſe vſurarum ſolutionem, fortè propter creditorum moleſtias & incommoda: nos tamen vt noſtra Chriſtiana Republica planè indignam, auerſandam & execrandam cenſuimus, tanquam iure diuino interdictam. Ideoque noſtra vetat Serenitas, ne cuiquam omninò in vllo negotio, liceat vſuras accipere, vt ne dum iuri ſeruando ſtudioſius addicti ſumus, legem Dei violemus, ſed & ſi quis vel tantillum acceperit ſorti imputator. Et licet Leo Imperator, dictam Baſilii Imperatoris conſtitutionem rurſus abrogauit, & vſuras in vſum reuocauit: tamen nihilominus fatetur, legibus diuinis, vſuras improbari. Sic namque Imperatoris Leonis conſtitutio habet: Si à ſpiritus legibus ita ſe mortale genus regi ſineret, vt humanis præceptis nihil indigeret, id verò & decorum & ſalutare eſſet. At quoniam ſe ad ſpiritus ſublimitatem eleuare, diuinæque legis vocem amplecti non cuiuſque eſt: ac verò quos huc virtus ducat, numero valde pauci ſunt, benè ſe adhuc res haberet, ſi ſaltem ſecundum leges humanas viueretur. Quæ vocantur pecuniæ creditæ vſuræ, vbique à

ſpi-

ſpiritus decreto condemnantur. Id ſciens pater noſter, æternæ memoriæ princeps, vſurarum ſolutionem, ſanctione ſua prohibendam putauit. Atque propter paupertatem non in melius res illa, quem tamen finem legislator propoſuerat, ſed contra in peius vergit. Qui enim antea, vſurarum ſpe, ad mutuandam pecuniam prompti fuerant, poſt latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere poſsint, in eos qui pecuniis indigent, difficiles atque immites ſunt. Quin etiam ad facilè iurandum, quodque id ferè conſequitur, ad iuſiurandum abnegandum id occaſionem præbuit. Breuiter propter redundantem in humana vita peruerſitatem, non modò non profuit legis virtus, verùm etiam obfuit. Quanquam igitur ex ſe legem culpare nequeamus: propterea tamen quòd humana natura ad illius ſublimitatem non perueniat, egregrium illud præſcriptum abrogamus, ac in contrarium ſtatuimus, vt æris alieni vſus ad vſuras procedat, idq; quomodo veteribus legislatoribus placuit, ad trientes centeſimæ nempe, quæ quotannis in ſingulos ſolidos, ſingulas fœneratoribus ſiliquas pariunt. *No-*

*uel.*

*uel. Leonis 83.* Ex hac Imperatoris Leonis nouella conſtitutione conſtat, apud Harmenopulum prius citatam conſtitutionem, corruptè Leoni Imperatori adſcribi, cùm non ſit Leonis, ſed parentis Baſilii, ſicuti Leo ipſe fatetur *in d. Nouella 83.* Ipſis igitur Imperatoribus affirmantibus, vſuræ iure diuino prohibitæ ſunt. Cæterùm obſeruandum diligenter eſt, quòd Leo Imperator *in d. Nouel. 83. de pecunia credita,* nominatim loquitur, 5
& pecuniæ creditæ vſuras, à ſpiritus decreto, condemnari affirmat. Ex eo intelligimus, Imperatorem Leonem ſenſiſſe, legibus diuinis vſuras, de quibus nobis hic ſermo eſt, in vniuerſum non damnari, ſed damnari duntaxat illas vſuras, quæ ex pecunia credita ſiue mutuo data, ſoluuntur. Et ſi loca, ex ſacris literis ſuperius adducta, diligẽtius inſpexerimus, facilè deprehendemus, loqui ea, de pecunia credita ſiue mutuo data, hoc eſt, de rebus mutuo datis, quæ conſtant pondere, numero & menſura. Et quod de vſura pecuniæ creditæ dicitur, neutiquam ad vſuram in genere trahendum eſt, cũ maxima ſit inter vſuram pecuniæ creditæ, & inter vſuram

ex alia cauſa debitam, differentia, & illa propter quæſtum ſiue lucrum, hæc propter damnum auertendum infligatur, vt inf. c. 2. latius explicabitur. Nec obſtat, quòd in Ezechiele, non modò vſura, verum etiam ſuperabundantia vetatur, quo poſteriori verbo, omnis vſura videtur prohiberi. Nam cum alia ſacræ ſcripturæ loca omnia, in ſpecie de pecuniæ creditæ ſiue mutuæ vſura, ſiue fœnore, loquantur, non videtur inconueniens eſſe, locum apud Ezechielem, ad pecuniæ creditæ vſuram ſiue fœnus trahere, maximè cùm vſura nihil aliud ſit, quàm ſuperabundantia, & quòd idem valet, incrementum ſortis, vt Imperatores noſtri loquuntur *in l. fina. C. de vſuris. Sic in Leuitico. c. 25. cùm dicitur*, & frugum ſuperabundantiam non exiges, ſuperabundantia ſignificat vſuram frugum creditarum, quod extra omnem eſt controuerſiam. Et tantùm de iure diuino.

6. Iure quoque naturali, vſuras illicitas eſſe, ſummæ authoritatis Philoſophi affirmare non dubitarunt. Etenim Ariſtoteles *in 1. Politico.* tradidit, fœneratores contra naturam agere. Et Cato Cenſorius, fœneratores homicidis comparauit. Interroga-

rogatus namque, quid maximè expediret patrifamilias, reſpondit, familiam benè paſcere. Iterum interrogatus, quid ſecundò agendum, reſpondit negotiari. Tertiò interrogatus, quid fœnerari, cum indignatione reſpondit, quid hominem interficere. Plutarchus in vita Catonis Cenſorii, Cicero *in 2. Officio. circa finem.* Sic Auſonius *in ecloga de ambigui. vitæ,* vſuras inopes trucidare, dixit.

*Si turpia lucra*
*Fœnoris, & velox inopes vſura trucidat.*

Homicidium autem contra naturam eſt, quia eſt naturæ deſtructio. Alii quoq; fœneratores, fures rapaces appellarunt. *Menochius lib. 2. de arbitra. iud. quæſtio. centuria 4. caſu 398.* Et veteres, fœneratorem tanquam furem manifeſtum quadrupli condemnarunt. Cato in initio de re Ruſtica. *Alexand. ab Alexandro lib. 1 geniali. die. c. 7* Hinc quadruplatores dicti, delatores, qui fœneratores deferebant, authore Aſconio Pædiano in diuinatione. Sed hoc ad fœneratores, qui grauiores vſuras accipere ſolebant, quã vel lex vel cõſuetudo permitteret, referendum eſt, vt Aſconius Pædianus in dicto loco oſtendit,

& perſpicuè ſignificant Valentinianus, Theodoſius & Arcadius Imperatores *in l. 2. C.Theodo. de vſuris.* ibi in hæc verba reſcripſerunt: Quicunq; vltra centeſimam iure permiſſam aliquid ſub occaſione neceſsitatis eruerit, quadrupli pœna & obligatione cõſtrictus, ſine ceſſatione ſiue requie, protin9 ablata redhibebit. Vtuntur
7 verò Philoſophi variis argumentis, quib. ſuam ſententiã munire & ſtabilire conantur, iis refutatis, apparebit, vſurã contra naturam non eſſe, ac verũ eſſe quod alibi Cicero ſcribit, ſuæ vtilitati ſeruire, quod ſine alterius iniuria fiat, conceſſũ eſſe, nec
8 repugnare naturam. Inquiunt illi: Res natura ſterilis, nullum parit fructum. Id enim contra naturam eſt. At pecunia eſt res natura ſterilis, ac coniecta in terram nunquã germinabit, nunquã vllum producet fructũ: in arca quoq; recondita atq; ad plurimos annos reſeruata, non creſcet, nec fructum vllum pariet. Inde igitur videtur dicendum, contra naturam facere, qui pecunia mutuo data, vſuras accipiũt. Hic ad maiorem reſpondendũ eſt per diſtinctionem. Fructus nomen interdum propriè, interdũ impropriè ſumitur. Propriè

priè fructus dicuntur fruges, & quæcunq; naſcuntur è terra, vite, arboreq́; & quicquid pecora ferunt. Hæc perfecta eſt fructus definitio. *Iacobus Cuiatius in paratitlis. ad titulum Pand. de vſuris.* Separantur autem fruges à natis è terra, vite, arboreq́;. Nam fruges ſunt quæ manu ſeruntur quotannis, vt frumenta, legumina. Ex terra nata, vt herbæ, aut nata ex vite, vt vuæ, vel deniq; arbore, vt poma, pira, non ſunt fruges, ſed fructus, Ac manu ſata, ſunt fructus induſtriales. Et terra, vite, arboreq́; nata, ſunt fructus naturales, vt interpretes noſtri loquũtur: aut vt ICti aiũt, manu ſata acquiruntur operis noſtris, nata è terra, vite, arboreq́; non ex facto noſtro naſcuntur, *l. fructus, de vſuris.* Et hæc duo ſunt genera fructuum. Additur in definitione & tertium genus fructuum quicquid pecora ferunt, vt ſunt fœtus, lac, pilus, lana, *ex l. in pecudum, de vſuris.* Huiusmodi fructus pecunia non parit. Impropriè fructus appellantur, vſuræ, penſiones, mercedes, vecturæ iumentorum, & ſimiles obuentiones, quas Interpretes fructus ciuiles nominant, & ICti loco fructuum eſſe dicunt, *l. mercedes, de petitio,*

*heredi.* & vicem fructuum obtinere, *l. vſuræ, de vſuris. l. quod his verbis, de legat. 3.* Et tales fructus pecunia parere poteſt: ac talium fructuum reſpectu, pecunia non eſt ſterilis. Sic domus eſt res natura ſterilis, nec parit fructus naturales vel induſtriales: ciuiles tamen fructus domus parit, quia locaria ex domo percipi poſſunt. Et quod pecunia non ſit ſterilis, ſed pariat, à ICto Vlpiano traditum eſt *in l. ſi benè, de vſuris.* Imò ICti noſtri ſterileſcere tunc affirmant pecuniam, cum fœnore occupata non eſt. *l. 7. de vſuris. l. 3. §. vſuras, de contraria tute. actio.* Sed rurſus Philoſophi inquiunt, Legi naturæ contrarium eſſe, quod alicui non dederis, id ab eo exigere. Sed qui vſuras accipit, pecunia mutuo data, id exigit quod non dedit: recipit enim pecuniam quam mutuo dedit, & inſuper aliquid accipit, quod debitori non dedit. Videtur igitur vſura contra naturã eſſe. Ad hoc argumentum reſpondendum eſt adhunc modum. Maior propoſitio vera eſt, quando is, cui pecuniam meam dedi, nihil ex re mea lucri aut commodi percipit: tunc naturæ aduerſatur, vt exigam quod non dedi. At ſecus eſt quando debitor

tor ex mea pecunia commodum fert. Hoc caſu contra naturã non eſt, exigere quod non dedi, ſed natura potius permittit, vt cum debitoris commodo, meum quoque commodum quærere poſsim. At inſtatur hoc modo. Exigere aliquid pro re, cuius 10
nullus eſt vſus, iure naturæ iniquum eſt. Pecuniæ autem, vbi iam conſumpta eſt, nullus amplius eſt vſus. Igitur pecunia conſumpta, iure naturæ iniquum eſt vſuras exigere. Hic minorem negabimus. Licet enim pecunia ſit conſumpta, eiusq́; poſt conſumptionem nullus amplius vſus eſſe poſsit: tamen commodum vſus pecuniæ adhuc durat. Eæ quippe res perſeuerant, ea commoda manent, quæ ex pecunia conſumpta comparauimꝰ, & ex iis quotidie vberiores & maiores fructus percipimus. Verbi gratia: Dediſti mercatori mutuo mille aureos. Mercator pecuniam expẽdit eaq́; omnis generis merces ſibi cõparauit. Hic pecunia conſumpta, nullus ipſius pecuniæ amplius eſt vſꝰ. Mercator tamẽ vtendo pecunia merces accepit, eæ ſuperſunt, eas diſtrahere poteſt, iisq́; diſtractis, aliisq́; mercib. rurſus cõparatis, lucrũ ex lucro facit, atq; idcirco iniquũ nõ eſt, vt

pecunia conſumpta, durante commodo
11 ipſius pecuniæ, vſuras tibi præſtet. Sed iterum obiicitur, quod illi res quæſtui eſſe debeat, cuius eſt periculo, *l. is qui commodum, §. 1. commoda.* Sed pecunia credita non eſt periculo creditoris, ſed debitoris, *l. incendium, C. ſi certum peta. ibi Imperatores reſcripſerunt, quod incendium ære alieno debitorem non liberat.* Per incendium, Imperatores intelligunt quemcunq; caſum fortuitum. Et ſi caſu aliquo fortuito, vt puta incendio aut ſimili, æs alienum perierit, incendium ære alieno debitorem non liberat, h. e. æs alienum non creditori periit ſed debitori, & debitor creditori nihilominus obligatus manet. Periculum igitur pecuniæ creditæ ad debitorem ſpectat, non ad creditorem. Inde videtur dicendum, quod creditori etiam pecunia credita quæſtui eſſe non debeat, & ſic per conſequens creditor contra naturam facit, ſi pecuniæ creditæ, quæ ipſius periculo non eſt, vſuras accipiat. Hic ad maiorem propoſitionẽ reſpondemus, veram illam eſſe, niſi aliud inter contrahentes conuenerit. Ex conuentione poteſt res etiam illi quæſtui eſſe, cuius periculo non eſt.

Con-

Contrahentes namq; legem ſiue certam formam negotiis dare poſſunt. *l. iurisgentium, §. quin imò ibi, quæ legem contractui dant, de pactis. l. 1. §. ſi conuenerit, depoſiti. l. contractus, ibi, legem contractui dedit, de regulis iuris. l. in conuentionalibus, de verbo. obligatio.* Et ſic ex conuentione, hoc eſt, ex pacto vel ſtipulatione vſuræ debentur, licet pecuniæ creditæ periculum, non ad creditorem, ſed ad debitorem pertineat. *d. l. incendium, C. ſi certum petatur.* Rurſus 12
obiicitur, quòd nemo debeat locupletari cum alterius iactura & damno, & hoc natura æquum eſt. *l. nam hoc natura, de condictio. indebi. l. iure naturæ, de reg. iur.* & præclarè Cicero *in 2. Officio.* inquit, detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera, quæ homini poſſunt accidere. Sed qui vſuras accipit, locupletatur cum alterius iactura & damno. Ergo contra ius naturæ facit, qui vſuras accipit. Hic minorem propoſitionem negamus. Nec enim creditor, qui vſuras accipit, cum debitoris iactura locupletatur, cùm debitor, ex pecu-

cunia quam à creditore accepit, multò plus lucrari poſsit, quàm ipſe vſurarũ nomine creditori præſtat. Imò inuerti poteſt argumentum hoc modo. Nemo debet locupletari cum alterius iactura & damno. Sed debitor qui pecuniam mutuam accepit, locupletaretur cum iactura & damno creditoris, ſi pecunia creditoris vteretur, & ex ea multum lucraretur, & è contrario creditori nihil præſtaretur. At dices, ſæpius contingit, quòd negotiatio infeliciter ſuccedit, & debitor pecunia, quam mutuo accepit, aut parum aut nihil lucratur. Ergo tunc ſaltẽ contra naturæ æquitatẽ creditor facit, qui vſuras accipit. Et ſanè fatendum eſt, ipſa rerum experientia teſtante, non ſemper feliciter negotiationẽ ſuccedere. Cæterum hoc caſu creditor memor eſſe debet aurei iſtius præcepti, quod ICtus Vlpianus libro ſingulari de officio curatoris Reipublicæ his verbis tradidit: Creditor non acerbum ſe exactorem nec contumelioſum præbeat, ſed moderatũ, & cum efficacia benignum, & cum inſtantia humanum. *l. ſi benè. ff. de vſur.* Sed inſta-
38 tur rurſus ad hunc modum. De alieno nemo debet lucrum ſentire. *l. idemq́. §. ſi procura-*

*curator, mandati. ibi ICtus dicit, hoc bonæ fidei congruere.* At ita eſt, quòd qui vſuras accipit, de alieno lucrum percipit. Pecunia namq; mutuo data, eſt aliena. Igitur vſuras accipere non licet, & contra bonā fidē agit, qui vſuras accipit. Hic ad minorem reſpondendū eſt. Pecunia mutuo data eſt quidem aliena, hoc eſt, non eſt creditoris amplius, ſed debitoris efficitur, & in dominium ipſius tranſit, & idcirco periculum quoq; pecuniæ ad debitorem ſpectat, vt paulò antè latius dictum eſt. Debitor tamen qui pecuniam accepit, obſtrictus creditori manet. Tenetur namque creditori pecuniā acceptā reddere, in genere magis quàm in ſpecie. *l. 2. de reb. credit.* hoc eſt, debitor obligatus eſt, non vt reddat pecuniam quam accepit, ſed aliam quamcunq; pecuniam. Non igitur pecunia mutuo data omninò aliena eſt, aut ita aliena dici poteſt, vt ſunt aliæ res, in quibus nihil omninò iuris habemus. Imò pecunia mutuo data, noſtra eſt, quia actionem habemus ad eam recuperandam. l. is qui actionem, de regulis iuris. ex quo conſequitur, bonæ fidei contrarium non eſſe, vſuras accipere. Hoc amplius obiicitur, quòd mutuum ſua natura gratuitum eſt. 14

*l. ſi*

*l. ſi tibi decem, de pact. l. rogaſti, §. 1. de rebus credit.* Igitur contra naturam mutui facit, qui vſuras accipit. Hic reſpondemus ad hunc modum. Verùm eſt, quòd mutuum eſt gratuitum: & ideò ſi decem tibi dedi mutuo, ac tecum conueni, vt vndecim mihi redderes, non naſcitur vltra decem obligatio. *d. l. ſi tibi decem, & d. l. rogaſti.* Et hæc natura mutui, per vſuras non immutatur. Nec enim ex contractu mutui vſuræ debentur, ſed vſuræ debentur ex alia cauſa, id eſt, ex noua obligatione, vt à ICto traditum eſt *in l. vſura pecuniæ, de verbo. ſign.* Mutuum ergo ſuam naturam retinet, nec ea immutatur per alium contractum, qui poſtea ſubſequitur, & ſeparatus eſt à contractu mutui.

15 Poſtremò obiicitur nobis, Reipublicæ pernitioſam eſſe vſuram. Fœnerandi enim arte in Rempublicam inuecta, honeſtæ artes & ad vitam colendam neceſſariæ deſeruntur, & vnusquisq; ſine ſudore mauult lucrum facere, pecunias fœnori collocando, quàm in aliis rebus exercendis, magno labore victum quærere. Magnos quoq; tumultus, fœneratorum cupiditas excitauit. Et propterea Ariſtoteles *lib. 1.* poli-

*politico.* dicit, omnibus videri debere, rectè feciſſe illos, qui fœnus & vſuram è ciuitatibus exterminârunt. Exterminârunt autem vſuram, Lycurgus è tota Sparta, & Agis apud Athenienſes, qui adeò fœnus exoſum habuit, vt omnium fœneratorum, tabulas igne ſuppoſito in foro concremârit. Lucullus quoq; omnem Aſiam fœnore demerſam liberauit, ac Cato ex tota Sicilia fœneratores exegit. *Menochius de arbitra. iudi. quæſtio. lib. 2. centu. 4. caſu 398.* Videtur ergo dicendum, vſuram neutiquam in Republica ferendam eſſe, cùm ſalus populi ſuprema debeat eſſe lex, vt eſt apud Ciceronem *de D.* Sed reſpondemus vno verbo, immodicam fœnerandi rationem damnoſam eſſe Reipublicæ, non autem eſſe damnoſam Reipublicæ vſuram, quæ intra modum à legibus conceſſum & definitum exercetur. Refutatis igitur Philoſophorum argumentis, quibus probare conantur vſuram iure naturali prohibitam eſſe, relinquitur vt dicamus, vſuram iuri naturali contrariam non eſſe. Et tantùm de iure naturali. Iure ciuili vſuram non eſſe prohibitam, hic titulus ſatis oſtendit, quem-

quemadmodum & titulus in Pandectis qui ſimiliter de vſuris inſcriptus eſt. Quin imò & multæ nouellæ conſtitutiones de vſuris latæ, ſatis ſuperque approbant, v-
18 ſuras iure ciuili improbatas non eſſe. Sed obiicitur. *l. 1. C. de ſumma trinita. & fide Catho. in qua Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodoſius conſtituerunt, cunctos populos viuere debere ſecundum leges à diuo Petro Apoſtolo Romanis traditas. At diuus Petrus vſuras improbauit, cùm iure diuino vſuræ ſint damnatæ, vt ſup. expoſitum eſt. Dicendum igitur videtur, iure etiam ciuili vſuras non eſſe permiſſas.* Hoc obiectum ita diluendum eſt. Conſtitutio Gratiani, Valentiniani & Theodoſii generalis eſt, cui poſtea per alias ſpeciales Imperatorum conſtitutiones derogatur. Et quando generalis datur conſtitutio, & poſtea ſpecialis in iure occurrit, hæc generali derogat. In toto enim iure generi per ſpeciem derogatur. l. in toto, de regul. iuris. *Iohan. Del areberteria in tracta. de mora. c. 18.*
19 Obiicitur deinde epiſtola inter claras. *§. ſuſcipimus autem, C. de ſumma trinita. & Nouella 131. de eccleſiaſticis canonibus.* Vtrobiq; Iuſtinianus Imperator approbat qua-

quatuor concilia, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum & Chalcedonenſe, & vult vt ſancti eccleſiaſtici canones, qui à dictis quatuor conciliis expoſiti & confirmati ſunt, vicem legum obtineant Nicæno verò concilio, vſuræ improbatæ & damnatæ fuerunt, *c. quoniam multi, 47. diſtincti. c. quoniam, 14. quæſt. 4. Ioachimus à Beuſt in l. admonendi, de iureiurando: mihi folio 295. Matthæ. de Afflict. in Conſtitutio. Neapoli. Rubrica. 6. de vſuris puniendis. nume. 5.* Quare videtur dicendum, iure quoque ciuili, vſuras damnatas & improbatas eſſe. Hæc difficultas tollenda eſt ad hunc modum. Quamuis Imperator Iuſtinianus approbat dicta quatuor concilia, & quæ in iis conſtituta ſunt, tanquam leges cuſtodire præcipit: tamen non probauit, quæ de vſuris in Nicæno concilio conſtituta fuerunt, ſed vſuras iure ciuili permiſſas eſſe voluit. Intelligitur id perſpicuè ex eo, quod poſt epiſtolam, inter claras, *C. de ſumma trinita. & fide Catho.* poſuit in Codice repetitæ prælectionis, titulum hunc noſtrum de vſuris, & ſimiliter edidit Nouellam 32. ne quis mutuum dans agricolæ, terram eius teneat. in qua permittit

credi-

creditoribus, vt credita pecunia, ab agricolis accipiant in ſingulos ſolidos, ſingulas ſiliquas. Siliquas Iuſtinianus *in Nouel. 130. κεράτια* appellat, & eſt ſiliqua 24. pars ſolidi. Centum ergo ſiliquæ, faciunt quatuor ſolidos & quatuor ſiliquas, ut inf. latius explicabitur. Sic Imperator noſter Iuſtinianus poſt dictam epiſtolam, inter claras, edidit *Nouellam 72.* ex qua tutor fœnerari cogitur, ſi negotiorum pupilli adminiſtratio & tuendæ vitæ pupilli ratio, hoc neceſſariò exigere videatur. Edidit quoque *Nouellam 121.* in qua conſtituit, vt particulares vſurarum ſolutiones in duplum computarentur. Similiter poſt *Nouellam 131.* edidit Iuſtinianus *Nouellam 136. de argentariorum contractibus*, in qua argentariis ſiue nummulariis permittit vſuras beſſes, easque iis præſtari vult, etſi cum modum vſuris non dixerint. Et, quod notandum eſt, Iuſtinianus in illa Nouella refert ſe ad conſtitutionem iam ante à ſe editam, hoc eſt, *ad l. eos, C. de vſuris.* in qua argentariis beſſes vſuras permiſit. Sic poſt *Nouellam 131.* edidit Iuſtinianus *Nouel. 138. & Nouel. 160. in quibus ſimiliter de vſuris agit*, & vſuras per partes

tes ſolutas in duplum computari conſtituit. Cum igitur Imperator Iuſtinianus, poſt dictam epiſtolam, inter claras, *& d. Nouellam 131. de vſuris* nouas conſtitutiones ediderit, clarum certè & perſpicuum eſt, eum vſuras non improbaſſe. Sed & fruſtra Baſilius Imperator prohibuiſſet vſuras, ſi vſuræ iure ciuili iam antea fuiſſent prohibitæ. Concludimus ergo, vſuras iure ciuili permiſſas eſſe, & falſam eſſe contrarium ſentientium ſententiam. Ex eo conſequenter intelligimus, non peccare qui vſuras etiam pecuniæ creditæ accipiunt. Nec enim peccat, qui legis authoritate peccat. *l. Gracchus, C. ad l. Iuliam, de adult.* Et quod licet, maleficium non eſt. *Bald. in l. decuriones, in fin. C. ex quibus cauſis infam. irrogatur.* nec obiici poteſt, quod lege factum eſt. Seneca lib. 6. declamatio. nec damnari quis poteſt ob id quod lege factum eſt. *Seneca in 9. declamatio.* cum iuſtum ſit quòd legitimum eſt, vt dixit Cyrus apud Xenophontem *lib. 1.* & traditum eſt à principe Philoſopho Ariſtotele, *lib. 5. ethico. c. 1. & 2.* Idq́; citra dubitationem in foro ciuili procedit. An autem in foro poli, vt Dd. noſtri loquuntur, legis au-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-247461-p0037-1

thoritas vſuras pecuniæ creditæ accipientem excuſet, de eo Theologi conſulendi erunt. Ego falcem in alienam meſſem non mittam. Moſes tamen, magiſtratus eccleſiaſticus & politicus ſimul, diuortia permiſit Et primi patres, lege vel conſuetudine permittente, πολυγαμίᾳ vſi ſunt. Ac quamuis tam diuortium quàm πολυγαμία primæ coniugii inſtitutioni aduerſantur: tamen proculdubio non peccarunt, qui diuortia fecerunt, & πολυγαμίᾳ, lege vel conſuetudine permittente, vſi ſunt. Eo argumento excuſari poſſe videntur, qui authoritate Theodoſii, Conſtantini, Iuſtiniani & aliorum piorum magiſtratuum, vſuras etiam pecuniæ creditæ permittentium, vſuras accipiunt. Sed hæc Theologis relinquamus.

Nunc ad definitionem vſuræ nos conferemus, quam ex Imperatorum ſub hoc titulo propoſitis reſcriptis conſtituemus. Prius tamẽ de ipſo nomine quædam monenda ſunt. Vſura ab vſu nomen habet, authore Varrone *lib. 4. de lingua Latin.* & Iſidoro *lib. 5. Etymolo.* idq́; Pomponius videtur ſecutus *in l. ſocium, pro ſocio.* dum inquit,

cùm

cùm ea pecunia ipſe vſus ſit, vſuras quoq́; præſtare debet. Et Papinianus noſter, quem Iuſtinianus Imperator in conſtitutione, omnem, quæ Pand. præfixa eſt, acutiſsimum, maximum & ſubliſsimum virum vocat, & Spartianus in vita Seueri, iuris aſylum & doctrinæ legalis theſaurum appellat, probauit *in l. deducta, §. penul. ad SCtum Trebellia.* vbi docet vſuras propter vſum medii temporis percipi. Sententia eius. §. eſt obſcura, propter vocabulum vſus, quod non vno modo ibi accipitur. Primùm vſus ſignificat χρῆσιν. Deinde vſucapionem. Senſus igitur hic eſt: Heres qui rogatus eſt poſt mortem ſuam hereditatem reſtituere, non cogitur res hereditarias diſtrahere, & pretium ex iis redactum fœneri collocare, & ob id poſt mortem heredis, fideicommiſſarius non petet ſortium, quæ de pretiis rerum hereditariarum redigi potuiſsent, vſuras, propter vſum medii temporis. Sic periculum mancipiorum aut vrbanorum prædiorum heres præſtare non cogitur, hoc eſt, heres qui rogatus eſt reſtituere hereditatem, non reddet rationem de mancipiis aut prædiis, quæ perierunt, ſed vt Papinianus

 ſubii-

ſubiicit, nihilominus vſus & caſus eorum quadrantem quoq; diminuit. Hic Papinianus vſum longè aliter accipit quàm ſup. & caſus ac vſus Papiniano id eſt, quod in SCto de petitione hereditatis deperditum ac diminutum dicitur. l. item veniunt. §. pridie, de petitio. heredi. Deperditum intelligitur quod periit, vel in rerum natura eſſe deſiit. Diminutum eſt, quod vſucaptum eſt. l. deperditum, de peti. hered. Caſus eſt deperditio: Vſus eſt diminutio, hoc eſt, caſus ſignificat interitum rei, vſus rei vſucapionem. Hoc ergo vult Papinianus dicere, quamuis heres qui rogatus eſt hereditatem reſtituere, non cogitur hereditarias res vendere, nec tenetur rationem reddere de iis quæ perierunt: tamen heredi quadrans, quem ipſe retinet, minuitur, propter vſum & caſum, hoc eſt, propter ea quæ vſucapta ſunt & quæ perierunt. Sic vſus, vſucapionem ſignificat in. l. nec vtilem. in quib. cauſis maiores. 25. annis. &c. Iniquiſsimum inquit ICtus eſt, domino auferre, quod vſus non abſtulit, hoc eſt, quod non abſtulit vſucapio. Sed ad inſtitutum noſtrum redeuntes, notandum
23 eſt, quòd vſura aliàs impendium appella-

tur.

tur. Ita docet Varro *d.lib.4.de lingua Lati.*
Et Cicero in Bruto, vſuram, impendium
vocat, impendiis, inquit, augetur ſors, hoc
eſt, vſuris. Eſt autem vſura nihil aliud quã 24
acceſsio ad ſortem ſiue quantitatem. Di-
co vſuram eſſe acceſsionem, *ex l. frumenti,*
*hoc tit. noſtro*, in qua Alexander reſcripſit,
quòd frumenti vel hordei mutuo dati ac-
ceſsio, etiam ex nudo pacto præſtanda eſt.
Per acceſsionem Alexander Imperator v-
ſuram intelligit, & frumenti vel hordei
mutuo dati acceſsio, hoc eſt, vſura ex nu-
do pacto eſt præſtanda. Cæterùm acceſsi- 25
onis verbum latiſsimè patet. Complecti-
tur enim eius rei, quæ in iudicium venit,
cuiuſue nomine actio, petitio, perſecutio
eſt, appendices, ſequelas, conſequentias
omnes, & vſuras, quæ quantitatum acceſ-
ſiones ſunt, & fructus, qui prædiorum ru-
ſticorum & pecorum acceſsiones ſunt, &
mercedes quæ prædiorum vrbanorum,
mancipiorum, iumentorum, nauium &
vehiculorum acceſsiones ſunt, & cauſas,
quæ vel ſunt in reb. ipſis, vt qualitates præ-
diorum vel hominum, veluti bonitas, ſa-
lubritas, immunitas, libertas, vel manant
à rebus ipſis, vt partus ab ancilla, aut ab

aliis rerum acceſsionibus, vt ex fœtu primo, fœtus ſecundus. Fœtus primus, eſt fructuspecorum. Fœtus ſecundus, qui ex fœtu primo, non eſt fructus, ſed eſt cauſa *l. equis, de vſuris.* ibi ICtus inquit, equis per fideicommiſſum relictis, poſt moram fœtus quoq; præſtabitur, vt fructus: ſed fœtus ſecundus vt cauſa, ſicut partus mulieris. Deniq; acceſsionibus annumerantur etiam alluuiones, & conſolidationes & acquiſitiones ſeruorum, vt pulchrè traditum eſt à Iacobo Cuiatio in paratitlis, ad titulum. ff de vſuris. Nos verò non ita latè acceſsionis vocabulum hic vſurpamus, ſed id reſtringimus ex adiunctis verbis. Vſura eſt quidem acceſsio, vt ab Alexandro Imperatore eſt reſcriptũ, ſed non quæuis acceſsio, verùm talis acceſsio quæ
16. fit ad ſortem ſiue quantitatem. Per ſortẽ ſiue quantitatem, non tantùm nummos intelligimus, vt voluit Zaſius *in l. 2. de verbo. obligatio.* verùm etiam vinum, oleum, frumentum, triticum, hordeum, auenam, & reliqua omnia, quæ mutuam functionẽ recipiunt, & pondere, numero & menſura conſtant. Hæc omnia ICti comprehendunt cùm quantitatem nominãt, vt intel-

ligitur

ligitur *ex l. 2. §. vlt. iuncta l. ideo, de eo quod certo loco. l. ambitioſa, de decret. ab ord. faciend. l. vnica C. de plus petitio. & notauit Molinæus in 2. parte Labyrinthi, de diuidu. & indiui. ſtipulatio.* Et quòd ad nummos vſura accedat, *ex l. 1. 2. & 3. & aliis paßim legibus ſub hoc titulo noſtro poſitis, intelligitur.* Sic quòd ad frumentum vel hordeum vſura accedat, Alexandri reſcriptum declarat *d. l. frumenti, h. t. noſtro.* & Philippus Imperator reſcripſit, oleo vel quibuſcunque fructib. mutuo datis, vſuras deberi *in l. oleo, h. tit. noſtro.* Obſtare autem videtur, *l. pro auro, h. tit.* 27
*noſtro*, in qua Imperator Conſtantinus reſcripſit: Pro auro & argento & veſte facto chirographo licitas ſolui vel promitti vſuras iuſsimus. Ecce hic Imperator Conſtantinus nominat veſtem, & affirmat ſe iuſsiſſe pro veſte ſolui vel promitti vſuras. Veſtis autem non eſt quantitas, nec quantitatem dicimus cùm veſtem nominam9. Inde igitur videtur dicendum vſuram malè definiri ad ſortem ſiue quantitatem acceſsionem. Sed reſpondendum eſt ad Conſtantini reſcriptum hoc modo. Pro veſte licita vſura ſolui vel promitti poteſt, quando ſcilicet inter contrahentes id

 agi-

agitur, vt pro veſte quæ datur, pecunia reddatur: tunc non tam veſtis quàm pecunia, quæ reddenda eſt, data videtur. Et ideo pro veſte ita data, vt pecunia redderetur, licita vſura ſoluitur & promittitur. Idem dicendum eſt, cùm non veſtis ſed alia quæcunque ſpecies datur & pecunia redditur. Sic à ſummo legum vertice Papiniano *in l.3.§.fina.de vſuris* traditum eſt: Auro vel argento facto per fideicommiſſum relicto, vſuras deberi, ſi teſtator materiam iſtam ideo reliquit, vt ea diſtracta & pecunia inde redacta, fideicommiſſa ſoluerentur. Quòd ſi fortè aurum vel argentum factum teſtator ob id reliquit, vt fideicommiſſarius his vaſis vteretur, non ſine rubore deſiderabuntur vſuræ, ideoq; 
28 non exigentur. *d.l.3.§.fina. de vſuris.* Sed rurſus aduerſari videtur. *l.cum quidam, §. fina.de vſuris*, ibi dicitur, heredes qui ſtatuas vel imagines Reipublicæ legatas non poſuerunt, vſuras Reipublicæ vſque ad tertiam centeſimæ pendêre debere. At ſtatuæ & imagines non ſunt quantitates. Non igitur in ſolis quantitatib. vſura locum habet, ſed etiam in corporibus. Ad hunc locum reſpondendum eſt ad hunc modum.

modum. Statuis vel imaginibus Reipublicæ legatis, pecunia videtur legata, ex qua ſtatuæ vel imagines fieri poſsint. Et idcirco ſtatuis vel imaginibus non poſitis, heredes Reipublicæ vſuras præſtant vſque ad tertiam centeſimæ, hoc eſt, præſtant vſuras trientes. Hæc verba, ad tertiam centeſimæ, Triboniani ſunt, vt intelligitur *ex l. eos, C. de vſuris, & ex. l. ſi legatum, in princip. de operibus publicis.* vbi, quod ex Paulo *in d. l. cum quidam, §. fina. de vſuris.* refertur, reſcripto D. Pii adſcribitur, & Tribonianus quod *in d. §. finali* mutauit, in reſcripto Diui Pii immutatum reliquit. Deni- 29
que definitio vſuræ videtur cadere in id quod intereſt, id. n. quod intereſt, eſt ad ſortem ſiue quantitatem acceſsio, & vſura quandoq; appellatur, vt in l. ſociumq; pro ſocio. Definitio igitur vſuræ non eſt bona, cùm latior ſit ſuo definito. Sed reſpondendum eſt, id quod intereſt accedere quidem ad quantitatem, ſed non ſolam. Intelligitur hoc ex eo, quòd *in l. vnica C. de ſenten. quæ pro eo quod intereſt proferunt.* ab Imperatore Iuſtiniano conſtitutum eſt, id quod intereſt, in caſibus certis, qui certam habent quantitatem vel natu-

 ram,

ram, duplum non debere egredi Et quantitatem vocat Imperator certam pecuniæ ſummam: Naturam, certum corpus. At vſura ad quantitatem duntaxat accedit, non ad corpora. Et eſt vſura menſtrua ad quantitatem acceſsio. Id quod intereſt, menſtruum non eſt. Et tantum de definitione vſuræ.

# CAPVT SECVNDVM
## diuiſionem vſuræ continens.

1. *Vſura duplex eſt, alia fœnus dicitur, alia generis nomen retinet & vſura appellatur.*
2. *Fœnus quandoq; per æ, quandoq; per œ, quandoq; per ſimplex e ſcribitur.*
3. *Fœnus à fœtu dictum eſt, & ſic τόκος dicitur à τίκτω, quod pario ſignificat.*
4. *Fœnus eſt ad ſortem creditam acceſſio.*
5. *Verbum credendi generale eſt, ſed propriè ad mutuum pertinet.*

6. *Prima differentia inter fœnus & vſuram in ſpecie ſumptam.*

7. *Secunda differentia inter fœnus & vſuram.*

8. *Tertia differentia inter fœnus & vſuram.*

9. *Quarta differentia inter fœnus & vſuram.*

10. *Quinta differentia inter fœnus & vſuram.*

11. *Fœnus duplex eſt, nauticum & terrenum.*

12. *Nauticum fœnus duplex eſt, proprium & improprium.*

NVNC ad diuiſionem vſuræ, paucis notam & cognitam accedemus. Iuriſconſulti vſuras diuidunt in duas ſpecies, quarum altera fœnus dicitur, altera generis nomen retinet & vſura appellatur. Hæ duæ ſpecies in infinitis locis in Iuriſconſultorum libris indicantur, ſicuti inferius apparebit: maximè verò proponuntur ſub titulo de vſuris, & ſub titulo de nautico fœnore. In titulo de vſuris, agitur de vſuris in genere. In titulo de nautico fœnore, de vna vſurarum ſpecie, quæ

quæ fœnus nuncupatur, & ob id titulus non eſt conceptus hoc modo, de nautica vſura, ſed adhunc modum, de nautico fœnore. Fænus in pandectis perpetuò per diphthongum ſcribitur, per literam a & e. toto tit. de nautico fænore. In Codice per literas o & e. toto titu. de nautico fœnore *in C. & l. 3. C. de vſuris.* Ac Gellius lib. 16. c. 2. refert, Marcum Catonem & cæteros ætatis eius, feneratorem ſine a litera pronunciaſſe, ſicut fetus ipſe & fecunditas. Et ſic fetus perpetuò in Pandectis Florentinis, quæ reliquis libris correctiores eſſe creduntur, per ſimplex e ſcribitur. Fœnus autem à fœtu dictum eſt, quòd vſura nummorum fœtus eſt, ſicuti naturalis terræ fœtus fœnus appellatur. Sextus Feſtus Pompei. *lib. 6. antiquita. Romana.* circa finem. Gellius d. libro 16. c. 12. Eadem prorſus ratione vſura à Græcis τόκος, hoc eſt, partus dicitur, à τίκτω quòd pario ſignificat, quòd vſura eſt partus pecuniæ. Rebuſtus *in l. vſura pecuniæ, circa finem, de verb. ſign.* Eſt autem fœnus ad ſortem creditam acceſsio. Intelligitur hoc ex eo, quòd ICti fœnerare pecuniam dicunt. *l. Caius Seius, l. qui ſemiſſes, §. quæſitum,*

*tum, de vſuris, l. ſi vnus, §. 1. pro ſocio. l. Titius Sempronio, de præſcript. verbis. l. 1. de SCto Macedoniano.* Et fœnerare pecuniam nihil aliud eſt, quàm pecuniam ſub vſuris credere aut pecuniam mutuam dare fœnuſùe exercere, vt à Modeſtino traditum eſt in l. principalibus, de reb. credit. aut vt Paulus inquit, mutuam pecuniam dare & fœnebrem exercere *in l. præſidis prouinciæ, de reb. credit.* aut pecuniam fœnore exercere, vt Vlpianus ait in l. ſi hominem, §. quoties, depoſiti. Hinc pecunia fœnebris dicitur *in l. pecuniæ, de vſuris. in l. quisquis, C. ſi certum peta. l. ſi fœnebris, C. ad SCtm Velleia. l. 3. C. de vſuris. l. 3. C. de nautico fœnore.* quæ mutuo ſub vſuris data ſiue credita eſt. Dico, ſiue credita eſt, quia licet credendi generalis appellatio eſt, *l. 1. de reb. credit.* vnde creditores eſſe conſtat, quibus debetur ex quacunque actione. *l. creditores, de verb. ſignif.* ſiue ex qualibet cauſa, *l. creditorum, de verbor. ſignif.* tamen nos hic credendi verbum ad mutuum referimus, & ſic propriè creditores dicuntur, qui pecuniam mutuam crediderunt, *d. l. creditores, in fine. & d. l. creditorum, de verb. ſign.* quod Iuſtinianus quoque docet *in Nouella*

con-

*conſtitutione quarta. §. fina.* Hinc in creditum ire *in l. 2. §. 1. de reb. credit.* pro ire in mutuum. Cùm igitur fœnerare pecuniam nihil aliud ſit, quàm pecuniam ſub vſuris credere, ſequitur fœnus, vt dictum eſt, eſſe ad ſortem ſiue quantitatem, quæ credita ſiue mutuo data eſt, acceſſionem. Vſura in ſpecie ſumpta, eſt etiam ad ſortem ſiue quantitatem ex quacunq; alia cauſa debitam acceſsio. Vt: Si emptor, cui poſseſſio rei tradita eſt, pretium venditori non offerat, vltra pretium quod debet, incrementum ſortis præſtare compellitur. Hoc incrementum ſiue acceſsio ſortis non dicitur fœnus, quia non debetur propter pecuniam creditam ſiue mutuo datam, ſed dicitur vſura. *l. 2. h. tt. n. de vſur.* Sic impendium, quod ex locato debetur, vſura appellatur, non fœnus. *l. cùm quidam, §. ex locato, de vſuris.* Et ſocius qui vtitur pecunia, quam ex ſocietate lucrifecit, vſuras præſtat, ſed non quaſi vſuras, *in l. ſocium, pro ſocio.* hoc eſt, non præſtat fœnus, ſed vſuram, quæ pro eo quod intereſt infligitur, vt doctiſsimè *Iacobus Cuiatius expoſuit in paratitlis ad titulum C. de ſenten. quæ pro eo quod intereſt profer.* Ac vt ſummatim dicamus,

mus, vſura quæ in omnibus bonæ fidei contractibus ex mora præſtatur, vſura appellatur, fœnus nuſquam. Sic enim Martianus ICtus inquit: In bonæ fidei contractibus vſuræ debentur ex mora. *l. mora, §. in bonæ fidei, de vſur.* Et Gordianus Imperator reſcripſit, vſuras in depoſiti actione, ſicut in cæteris bonæ fidei iudiciis, ex mora venire ſolere. *l. 2. C. depoſiti.* Hoc amplius, legatorum & fideicommiſſorum impendia, vſuræ dicuntur, fœnus nunquam. *l. Titia Seio, § vſuras, de legat. 2. l. vſuræ, de vſur. toto tit. de vſuris & fructibus legatorum ſeu fideicommiſſorum in C.* Quin imò acceſsio quoque, quæ fit ad pecuniam creditam, quandoque talis eſt, vt non fœnoris, ſed vſuræ in ſpecie ſumptæ appellationem mereatur, quemadmodum intelligitur *ex l. lecta, de reb. credit.* in qua vſura ad pecuniam creditam ſiue mutuo datam accedit, quæ tamen fœnus non eſt, nec dici poteſt, ſed generis nomen retinet, & vſura appellatur. Fœnus ergo eſt pecuniæ duntaxat creditæ; vſura pecuniæ creditæ, vel ex quacunq; alia cauſa debitæ acceſsio. Et propterea ſup. particula ETIAM vſus ſum, ac dixi, vſuram eſ-

ſe

ſe etiam ad ſortem ex quacunq; cauſa debitam acceſsionem, vt indicarem fœnus tantùm eſſe ad ſortem creditam, vſuram ad ſortem creditam, & ex quacunq; alia cauſa debitam, acceſsionem. At dices, nihil igitur refert, vtrum pecuniæ creditæ acceſsionem, vſuram, an fœnus appellemus? Imò plurimùm refert. Nam etſi verum eſt, quòd omnis acceſsio pecuniæ creditæ eſt vſura, & vſura rectè dicitur: tamen non omnis acceſsio pecuniæ creditæ eſt fœnus, nec fœnus rectè appellari poteſt. Eſt quædam pecuniæ creditæ acceſſio, quam fœnus rectè appello, itemq; vſuram. Eſt & quædam pecuniæ creditæ acceſsio, quam vſuram rectè nomino, fœnus neutiquam. Quòd vt intelligatur, reliquæ differentiæ inter fœnus & vſuram ſubnectendæ ſunt. Fœnus igitur eſt vſura ſiue acceſsio, ad ſortem creditam, quæ propter lucrum infligitur. Verbi gratia: Dedit tibi quis mutuo centum aureos, ac ſtipulatus eſt à te vſuras ſemiſſes. Hæ vſuræ ad ſortem creditam accedunt, & tantùm præſtantur propter lucrum, ac ſpeciali nomine fœnus dicuntur. At vſura eſt acceſsio ad quamcunq; ſortem, quæ non pro-

propter lucrum petentium, ſed propter moram non ſoluentium infligitur. *d. l. cùm quidam, §. ſi pupillo, verſ. vſuræ enim, de vſuris.* Vt: Si emptor, qui poſſeſsionem rei venditæ nactus eſt, pretium venditori non numeret, vſuras debet, eæq; vſuræ præſtantur venditori, non propter lucrum, ſed ne damnum patiatur. Et hæ vſuræ nunquam fœnus dicuntur. Sic ſi quis pecuniam tibi crediderit, & ſtipulatus fuerit vſuras, ſi ad diem certum pecuniam non redderes, pecunia non reddita, vſuræ debentur. Et hæ vſuræ præſtantur creditori, non propter lucrum, ſed ne in damno ſit creditor, & nuſquam fœnus appellantur, ſed vſuræ. *d. l. lecta, de reb. cred.* Ex hac differentia inter fœnus & vſuram, & aliæ differentiæ deprehenduntur. Etenim fœnus, quia propter lucrum petentium præſtatur, nuſquam in libris noſtris pœna dicitur. Vſura autem, quæ propter moram non ſoluentium infligitur, pœna appellatur, vt *ex d. l. lecta, de reb. credit. & ex l. cùm ſtipulati ſumus, de verbo. obligatio.* videre licet. Ideò appellatur pœna, quia moræ, quam debitor in ſoluenda pecunia fecit, cohercitio & emendatio eſt. Et ſic pœna

D omni-

omnium delictorum cohercitio definitur *in l. aliud fraus eſt, de verbo. ſign.* Hoc amplius, fœnus ex die pecuniæ numeratæ debetur. Vt: Credidit tibi aliquis pecuniam, ac ſtipulatus eſt vſuras. Hic vſura, quæ propriè fœnus dicitur, ex die, quo pecunia credita eſt, currere incipit. At vſura in ſpecie ſumpta, ex tempore moræ debetur, cùm, vt ſuprà expoſitum eſt, propter moram non ſoluentium infligatur. Denique fœnus tantum eſt ex obligatione, hoc eſt, nunquā debetur fœnus, niſi in obligationem deductum fuerit, niſi creditor vel ſtipulatus fuerit fœnus ſiue vſuram. *l. 3. h. tit. n.* vel etiam cum debitore fuerit pactus, vt fœnus ſibi præſtaret. Nam etiam certis caſibus fœnus ex pacto debetur, vt in c. proximè ſequenti explicabitur. At vſura vel ex obligatione eſt, vel officio iudicis debetur. Ex obligatione debetur vſura *in d. l. lecta, de reb. cred.* ibi enim creditor in triginta dies, inq; denarios centenos, denarios ſingulos pœnæ ſiue vſuræ nomine ſibi dari ſtipulatus eſt. Officio iudicis debetur vſura ex mora, in omnibus bonæ fidei iudiciis. *l. fructus, C. de. actio. empti.* Et ſi iudex in condemnatione vſurarum ratio-

tionem non habuerit, nulla earum petitio ſupereſt, *l. in bonæ fidei, hoc tt. n. de vſuris. l. 4. C. depoſiti.* quia iudex poſt condemnationem & ſententiam dictam, officio ſuo functus eſt. *l. iudex, de re iudicata.* Verbi gratia: Depoſuiſti apud Titium pecuniam, Titius depoſita pecunia vſus eſt, & propterea non eſt dubium, eum vſuras præſtare debere: tu cum Titio depoſiti actione expertus es, iudex Titium tantummodò in ſortem condemnauit: Quæſtionis eſt, an tu vltrà propter vſuras experiri poſſes? Et ab Imperatore Gordiano reſcriptum eſt, non poſſe te amplius vſuras petere. Non enim, inquit Gordianus, duæ ſunt actiones, alia ſortis, alia vſurarum, ſed vna, ex qua condemnatione facta, iterata actio rei iudicatæ exceptione repellitur. *d. l. 4. C. depoſiti.* Ex his omnibus intelligitur, maximum eſſe diſcrimen inter vſurarum ſpecies, inter fœnus & vſuram in ſpecie ſumptam, easque minimè inter ſe confundendas, ſed potius accuratè diſtinguendas eſſe. Adiiciendum nunc ſuperioribus eſt, fœnus rurſus duplex eſſe.

Aut enim nauticum eſt fœnus, *toto titulo de nautico fœnore. in ff. & C.* aut eſt fœnus terrenum. Nauticum fœnus dicitur, quando nauigaturo pecunia creditur, ea lege, vt pecunia non ſit periculo debitoris, ſed creditoris. Terrenum, quando non creditur pecunia nauigaturo, ſed aliis. Hoc ἀκίνδυνον eſt, illud ἐπικίνδυνον, vt eſt apud Iulium Pollucem libro 8. περὶ δανείσματος. Et de terreno fœnore ſub hoc titulo agitur, ſicuti & de vſuris in genere. De nautico fœnore in titulo ſe-
12 quenti. Nauticum fœnus iterum duplex eſt: proprium & improprium. Vt: Quando piſcatori do pecuniam, vt ſi piſces ceperit, reddat, vel athletæ, vt inde ſe exhibeat, hoc eſt, alat, exerceatq́; vt ſi viciſſet, redderet. *l. 5. de nautico fœnore.* Et hæc de vſurarum diuiſione.

# CAPVT TERTIVM

quibus ex cauſis vſuræ debeantur.

1. *Vſuræ debentur tribus ex cauſis.*

*2. Pri-*

2. Primùm vſuræ debentur ex pacto in bonæ fidei iudiciis.
3. Si pactum in initio contractus adiiciatur.
4. Verba, in continenti, ſignificat idem quod in initio contractus.
5. In continenti, ſignificant interdum aliquot horas, interdum triduum.
6. Vſuræ in bonæ fidei contractibus debentur propterea ex pacto, quia pactum ineſt bonæ fidei iudiciis.
7. Pacta in continenti facta inſunt ſtipulationi.
8. Ex parte ſcilicet rei, non etiam ex parte actoris.
9. Breuis explicatio l. lecta, de rebus credit.
10. Ratio credendæ pecuniæ olim duplex fuit.
11. Reprobos nummos dare non licet.
12. De lege ſtipulationis.
13. Secundò vſuræ debentur ex mora, in bonæ fidei contractibus.
14. Definitio moræ & explicatio.
15. Legatorum & fideicommiſſorum vſuræ debentur ex mora.
16. Mora fit duobus modis.
17. Legata & fideicommiſſa non cenſentur

eodem iure ſtricto, quo reliqua negotia ſtricta.

18. Vſuræ debentur etſi nulla mora interuenerit.

19. Mora duplex eſt, alia eſt in re, alia in perſona.

20. Mora quæ fit ex re, ſæpius dicitur mora non eſſe.

21. Minoribus viginti quinque annis in re mora fit.

22. Semel mora facta ex perſona, perpetuo vſuræ debentur.

23. Quòd dicitur vſuras deberi etiam mora non interueniente, accipiendum eſt de mora quæ fit ex perſona.

24. Qui pecuniam communem inuadit, furtum facit.

25. Fur ex tempore delicti moram facit.

26. Socius ſocio duobus caſibus præſtat vſuras.

27. Tutor, qui tutelam non reſtituit, ſemper præſtat vſuras.

28. Cauſa, quare minoribus ſemper in re mora fiat, eſt fauor minoris ætatis.

29. In bonæ fidei contractibus vſuræ debentur ex mora, quæ fit ex perſona & ex re.

30. In

30. In l. Iulianus, § ex empto, de actionibus empti, mora in re fuit facta.

31. In contractibus uno implente, alter moram facit, ſi ceſſet.

32. Ex eo, quòd minoribus in re mora ſit inferendum non eſt, maioribus in re moram non fieri.

33. Legatis & fidei commiſsis non ſolutis, minoribus in re mora ſit, maioribus non item.

34. Tertiò vſuræ debentur ex ſtipulatione, quæ à ſtipulo nomen habet, vel à ſtipe.

35. Verborum obligatio non eſt periphraſis ſtipulationis.

36. Vſuræ pecuniæ fœnebris nudo pacto promiſſæ non poſſunt peti, quia ex pacto actio non datur.

37. Vſuræ nudo pacto promiſſæ & ſolutæ non poſſunt repeti.

38. Ex pacto naturalis obligatio deſcendit.

39. Frumento vel hordeo mutuo dato, vſuræ ex pacto debentur.

40. Pecuniæ æſtimatio eſt perpetua, frumenti vel hordei non item.

41. Vinum vel oleum grauiores vſuras admittit, quàm pecunia.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-247461-p0059-7

42. Pacta nuda ſunt duplicia, alia legitima, alia iuriſgentium.
43. Ciuitatibus debentur vſuræ pecuniæ creditæ ex pacto.
44. Argentariis vſuræ debentur ex pacto.
45. Effectus naturalis obligationis eſt, quòd vſuræ ſolutæ non condicuntur, & ſeruantur per retentionem pignoris.
46. Vſuræ ſeruantur per retentionem pignoris ſi in vſuras pignus acceptum fuerit.
47. Pignore in ſortem duntaxat accepto, vſuræ non ſeruantur per retentionem pignoris.
48. Pecunia ſimpliciter ſoluta, creditor poteſt pecuniam in vſuras computare.
49. Pœna nudo pacto promiſſa ſeruari poteſt per retentionem pignoris.
50. Pœna multùm differt ab vſura.
51. Vſuræ ex mora debentur in contractibus ſtrictis, etiam poſt litis conteſtationem.
52. Lite conteſtata vſuræ currunt, hoc eſt, procurrunt, non ceſſant.
53. Fructus debentur in actione ex ſtipulatu poſt litis conteſtationem, ſed non vſuræ.
54. Poſt litem conteſtatam cauſa eſt præſtanda.

55. De-

*55. Definitio cauſæ.*
*56. Vtrum vſuræ debeantur ex longi temporis præſtatione.*
*57. Longi temporis præſtatio inducit præſcriptionem obligationis.*
*58. Huic præſumptioni ſtatur, donec contrarium probetur.*

EXpoſita definitione & diuiſione vſurarum, proximum eſt, vt videamus, quibus ex cauſis vſuræ debeantur. Sunt 1
autem tres cauſæ, ex quibus vſuræ deberi poſſunt: pactum ſcilicet, mora & ſtipulatio. De iis ordine dicemus. Primùm vſu- 2
ræ debentur ex pacto, in bonæ fidei iudiciis. Ita multis in locis in libris noſtris traditum eſt. Ac primùm quidem ſummi ingenii vir Papinianus *in l. Lucius Titius, §. fina. depoſiti* vſuras, in contractibus bonæ fidei, ex pacto deberi affirmauit. Ibi enim de pecunia depoſita tractans inquit: Si ab initio de vſuris præſtandis conuenit, lex contractus ſeruabitur. Legem contractus Papinianus appellat pactionem ſuper vſuris factam: ea pactio ſeruanda eſt, Sic Paulus *in l. Publia Mæuia. §. 1. depoſiti.* docet, vſuræ ſecundum conuentionem pe-

ti poſſunt. Idem Paulus *in l. cum quidam, §. ex locato, de vſur.* inquit: Ex locato qui conuenitur, niſi conuenerit, vt tardius pecuniæ illatæ vſuras deberet, non niſi ex mora vſuras præſtare debet. Notanda ſunt illa verba, niſi conuenerit vt vſuras deberet. Iis verbis ICtus Paulus ſignificat, ex locato vſuras deberi ex conuentione ſiue pacto. Sic Africanus *in l. qui negotia, §. 1. mandati*, ait, procuratorem actione mandati obligatum eſſe, vt quamuis ipſius periculo nummi fuerint, tamen vſuras, de quibus conuenerit, præſtare debeat. Deniq; Gordianus Imperator *in l. initio, C. de pactis inter empto. & vendito.* ex pacto venditioni adiecto, vſuras deberi reſcripſit his verbis: Initio venditionis ſi pactus es, vt is, cui vendidiſti poſſeſsionem, pretii tardius exoluti vſuras tibi penſitaret, non immeritò exiſtimas etiam eas tibi, adito præſide prouinciæ, ab emptore præſtari debere. Notandum verò eſt, quòd Imperator Gordianus in ſuo reſcripto vtitur particula, Initio: Initio, inquit, venditionis ſi pactus es. Sic magnus Papinianus *in d. l. Lucius Titius, ait*: Si ab initio de vſuris præ-
3 ſtandis conuenit. Hæc particula, Initio, à Gor-

à Gordiano Imperatore & ſummi ingenii ICto Papiniano otioſè adiecta non eſt, ſed propterea vt oſtenderetur, vſuras in bonæ fidei iudiciis ſine contractibus non ſemper ex pacto deberi, ſed tunc demum, cùm pactum in initio bonæ fidei contra-
ctib9 adiicitur. Ea enim pacta bonæ fidei 4
iudiciis inſunt, quæ ex continenti ſubſecuta ſunt. *l. iuris gentium, §. quinimò, de pactis.* vel in continenti. *l. in bonæ fidei, C. de pactis.* hoc eſt, quæ fiunt in ingreſſu contractus. *d. l. iuris gentium, §. quin imò,* quæ ab initio fiunt. *l. ſi vt certo, §. 1. commodati. d. l. Lucius Titius, in fine depoſ.* vel in initio, *l. ſi alienam C. de fideiuſſo.* vel initio, *l. contractus, de re iur. d. l. initio. C. de pactis inter empto. & vendito.* vel cùm inchoatur contractus vel actio. *l. nec ex prætorio, in fin. de reg. iur.* Ad
hunc modũ verba, in continenti, *in d. l. iu- 5*
*ris gentium, §. quin imò, ff. de pact.* exaudienda ſunt, quamuis alibi aliter accipiantur: & in lege Iulia, de adulter. cohercendis, quæ vult vt pater filiam adulteram in continenti occidat, aliquot interpoſitas horas ſignificẽt. *l. quod ait lex, ad l. Iuliam de adult. coher.* nonnunquã triduum. *l. vlt. C. de errore aduocato.* Conſtantinus Harmenop. *l. 6. epi-*

*toma.*

*toma.titul.vlt.* interdum etiam multos annos. *Matth.de Afflict.in constitutio. Neapolita.Rub.25. contra quem de restitutio.agatur. num.11.cum ſequenti.* Tiberius Decianus *reſpon.23.num.102.cum ſequent. in 1.volum.* Menoch.*de arbitra.iud.quæst. lib.2. centu.1.caſu 12.* Quòd ſi non in continenti, ſed ex interuallo, contractu bonæ fidei iam abſoluto & perfecto conuenerit, vt vſuræ præstarentur, conuentio locum non habebit, ne ex pacto actio naſcatur. *d.l. iuris gentium, §.quin imò,* ibi, etſi in tutelæ actione conuenit, de pactis. ibi hæc verba, ſi in tutelæ actione, ita interpretamur, ſi poſt tutelam, tutelæ actione iam inchoata conuenit, vt maiores quàm ſtatutæ ſunt vſuræ
6 præſtentur, conuentio non valet. In bonæ fidei igitur contractibus vſuræ debentur, ex pacto in continenti adiecto, quia huiuſmodi pactum ineſt bonæ fidei iudiciis ſiue contractib. Ineſt ad hoc, vt formet ipſam actionem. *d. l. iuris gentium, §. quin imò, de pact.* aut vt formet contractum *l. cùm dotem, C. de iure dotium,* hoc eſt, vt Vlpianus interpretatur, vt legem contractui det, *d.l.iuris gentium, §.quin imò. in illis verbis, quæ legem contractui dant, de pact. &*
*in*

*in l. contractus. ibi, legem enim contractui dedit, de reg. iur.* & faciat, vt actio, quæ ex contractu bonæ fidei deſcendit, porrigatur & ad vſuras, quæ nudo pacto contractui adiecto promiſſæ fuerunt. Verbi gratia: Vendidiſti Titio ædes tuas, & in initio venditionis pactus es, vt Titius pretii tardius exoluti vſuras tibi præſtaret. Hic pactum, de vſuris pretii tardius ſoluti præſtandis, in continenti contractui bonæ fidei appoſitum eſt, & ob id ineſt contractui venditionis, & format actionem venditi. Tu namque per actionem venditi à Titio non ſolùm pretium, ſed etiam vſuras petere potes. Quòd ſi initio contractus non es pactus, vt Titius tibi vſuras ſolueret, quamuis poſtea conuenerit, vt vſuræ tibi præſtarentur, vſuræ peti non poterunt, niſi mora fuerit facta. *d. l. initio, C. de pactis inter empto. & vendito.* Cæterùm obiicitur nobis nobilis & ab omnibus multùm celebrata. *l. lecta, de reb. credit.* in qua Paulus ICtus refert, ſe ad cautionem lectam in auditorio Aemilii Papiniani præfecti prætorio ICti reſpondiſſe, quòd pacta in continenti facta ſtipulationi ineſſe credantur. Stipulatio autem 7

non

non eſt bonæ fidei iudicium, nec contractus bonæ fidei, ſed iudicium ſtrictum, ſiue contractus ſtricti iuris, vno tantùm caſu excepto, quando nimirum ſuper dote interponitur. *§. fuerat, Inſtit. de action. l. vn. C. de rei vxor. actio.* Cùm igitur ſtipulationi, hoc eſt, iudicio ſtricto ſiue contractui ſtricti iuris, pacta in continenti facta inſint, conſequenter videtur dicendum, vſuras non minus in iudiciis ſiue contractibus ſtrictis, ex pacto in continenti adiecto, deberi, quam eas deberi diximus ex pacto, quod bonæ fidei iudiciis ex continenti adijcitur. Hæc obiectio valdè eſt difficilis, ac Pauli reſponſum, pacta in continenti facta inſunt ſtipulationi, tantopere interpretes noſtros conturbauit, vt plurimi ex iis affirmare non dubitauerint, *l. lectam,* eſſe quidem lectam, ſed non intellectam. Nos verò breuiter ita reſpondebimus. Pacta in continenti facta inſunt bonæ fidei iudiciis, ex parte rei & ex parte actoris. *d. l. iuris gentium, §. quin imò, de pactis. l. in*
8 *bonæ fidei, C. eodem.* At pacta in continenti facta inſunt ſtipulationi ſiue contractui ſtricti iuris, ex parte rei tantùm, non etiam ex parte actoris. Et quòd ita inter

bonæ

bonæ fidei & ſtricti iuris iudicia ſit diſtinguendum, perſpicuè Vlpianus oſtendere videtur *in d. l. iuris gentium, §. quin imò, de pact.* Poſtquam enim ibi tradidit, pacta conuenta ineſſe bonæ fidei iudiciis, mox ſubiicit, hoc ſic accipiendum eſſe, vt ſiquidem ex continenti pacta ſubſecuta ſunt, etiam ex parte actoris inſint. Notanda eſt diligenter particula, ETIAM, qua Vlpianus non fruſtra, ſed cum myſterio vtitur, eamque propterea appoſuit, vt ſignificaret, pacta in continenti adiecta bonæ fidei iudiciis duntaxat ineſſe ex parte actoris, non etiam ineſſe ex parte actoris iudiciis ſtricti iuris. Idque apertè quoque oſtendit Maximini Imperatoris reſcriptum *in d. l. in bonæ fidei, C. de pactis.* Reſcripti verba ita ſonant: In bonæ fidei contractibus ita demum ex pacto actio competit, ſi in continenti fiat. Non reſcripſit Maximinus, in contractibus ex pacto in continenti facto, actionem competere. Si ita reſcriptum ſe haberet, non minus ex pacto ſtricti iuris iudicio in continenti adiecto, diceremus actionem dari, quàm ex pacto, quod adiicitur in continenti iudicio bonæ fidei. Sed

Maxi-

Maximinus nominatim de bonæ fidei contractibus loquitur, & reſcripto ſuo oſtendit, in bonæ fidei contractibus, ex pacto in continenti adiecto competere actionem. Pacta igitur in continenti facta tantùm bonæ fidei iudiciis ex parte actoris inſunt iudiciis ſtrictis ex parte actoris non inſunt, quia aliàs Imperator Maximinus de iudiciis bonæ fidei fruſtrà hoc expreſsiſſet. Et denique quòd pacta in continenti ſubiecta ſtipulationi ſiue contractui ſtricti iuris, tantum ex parte rei inſint, non etiam ex parte actoris, ſpecies, quæ *in d.l.lecta, de reb. credit.* proponitur, perſpicuè oſtendit. Species talis eſt:
9 Scripſi me accepiſſe à Publio Mœuio quindecim mutua, numerata mihi de domo, & promiſi me illa redditurum Calendis proximis, proba, rectè. Hæc verba primùm nobis explicanda ſunt. Per quindecim mutua nonnulli ſeſtertia intelligunt. Et vnum ſeſtertium valet mille ſeſtertios ſiue nummos, & ideo quindecim ſeſtertia faciunt quindecim millia ſeſtertiorum ſiue nummorum. Si res ad denarios redigatur, quorum vnus valet quatuor ſeſtertios ſiue nummos, prouenient ter mille

le ſeptingenti & quinquaginta denarii. Sed hic ſeſtertia non poſuimus intelligere, propterea quòd veteres ſeſtertia ſignificantes, numerum aduerbialiter proferebant hoc modo: decies, quindecies, centies, millies, quemadmodum *apud Budæum in primo de aſſe* videre licet. Per quindecim igitur mutua, conciſa oratione, quindecim millia denariorum intelligemus, conciſè hic dicatur, quod alibi fuſius dicitur *l. ſi ita ſtipulatus fuero, §. Chryſogonus, de verb. oblig.* His verbis, numerata mihi de domo, ſignificatur, pecuniam non fuiſſe mutuo ſumptam ab argentariis. Ac 10
erat olim duplex ratio credendæ pecuniæ. Interdum mutua pecunia ſumebatur ex ſcriptura menſæ. Interdum de domo. Ex menſæ ſcriptura dicebatur ſumi pecunia, quando ſumebatur ab argentariis, qui tabernas & menſas cum ære in foro poſitas habebant. *l. qui tabernas, de cont. empt.* vnde etiam menſarii appellabantur ſiue menſularii. Suetonius *in Auguſto. cap. 4. l. ſi ventri, de reb. author. iudic. poßiden.* Et hoc caſu nominibus contrahebatur obligatio. Dicebatur contrahi nominibus ab eo, quòd Calendariis, hoc eſt, libris fœne-

ratorum, eorum quibus pecuniæ credebantur nomina perſcribebantur, quæ inde tituli dicebantur, *authore Aſconio Pædiano in 3. Verrina*. Quando verò pecunia ſumebatur mutua non ab argentariis, ſed aliunde, tunc dicebatur ſumi de domo, *d. l. lecta* ſiue ex arca. *l. quidam de conſtit. pecun.* & contrahebatur obligatio vel re tantùm vel etiam verbis, ſi ſubdita erat ſtipulatio *l. cùm enim pecunia, de nouatio. & delegatio.* Ac quidem nominatim ſolebat cautionibus adiici, vtrum pecunia mutua ex menſa agentarii, an verò ex domo ſiue arca ſumpta eſſet, quemadmodum conſtat *ex d. l. lecta, & d. l. quidam, ac teſtatur Donatus in Phormione in 5 actu ſcen. 9.* Hodie, inquit, additur chirographis, domo ex arca ſua, vel ex menſæ ſcriptura. Hæc verba, proba rectè, videntur eſſe ſolennia verba, quæ cautionibus, chirographis ſiue ſtipulationibus inſeri olim ſolebant. *l. qui Romæ, §. Callimachus, de verb. obligat. l. reos, §. cum tabulis, de duob. reis.* Cato *de re ruſtica c. 145.* Rectè hæc dari fieriq; promitto. *Barnabas Briſſo. lib. 1. antiquita. Rom. c. 9.* ſicuti videmus notariis hodie vſitatum eſſe, vt omnibus inſtrumentis ſolennia quædam verba inſerant.

ferant. Proba verò denaria opponuntur adulterinis, & ſic Cicero *in 3. officior.* bonos adulterinis opponit. Rectè ſignificat, ne quod periculũ vel damnũ ex ea re ſit creditori. Hoc neceſſe non fuit cautioni ſiue chirographo adiicere. Nam etiam aliàs 11
reprobos nummos dare, & cum creditoris incommodo ſoluere non licet. *l. eleganter, §. qui reprobos, de pignora. actio. l. 3. de reb. credit.* Sequitur *in d. l. lecta.* Si Calendis proximis non redderẽ pecuniam Publio Mœuio, promiſi ipſi in dies triginta, inq; denarios centenos, denarios ſingulos. His verbis centeſima vſura definitur, & ſimul eleganter oſtenditur, vnde centeſima ſit dicta. Sed de centeſima vſura, eiusq; appellatione in c. proximè ſequenti latius dicemus. Nunc ea paucisſimis monuiſſe ſufficiat, quæ ad intelligendã facti ſpeciem *in d. l. lecta,* propoſitam pertinent. Porrò vbi ſuperiora omnia inter me & Publium Mœuium fuerunt acta, in continenti inter me & Publium Mœuiũ conuenit, vt ex ſumma ſuprà ſcripta ſoluerem ſingulis menſibus trecenos denarios, atq; ita mutauimus diem modumq́; ſolutionis. Cùm enim ſtipulanti promiſiſſem, me totam ſortem Ca-

lendis futuris ſoluturum, mox nudo pacto conuenit, vt ſortem ſoluerem diuiſis penſionibus, de vſuris nihil fuit dictum: Quæritur, an vſurarum dies mutatus cenſeatur, hoc eſt, quæritur, vtrùm currant ex Calendis proximis vſuræ totius ſortis, an ex ſingulis menſibus vſuræ penſionũ tantùm. Publius Mœuius mora facta, & Calendis proximis, trecenis denariis non ſolutis, totius ſortis vſuras petit ex ſtipulatione. Ego contrà dico me duntaxat debere trecentorum denariorum vſuras, quia trecentos denarios Calendis proximis ſolum debui ſoluere: in quæſtionem vocatur, quid iuris ſit? Paulus reſpondit, me totius ſortis vſuras non debere, ſed iſtorum trecenorum denariorum tantum, quos Calendis proximis debuiſſem ſoluere. Pactum enim, inquit Paulus, in continenti factum ineſt ſtipulationi, hoc eſt, pactum mutauit formam ſtipulationis vtriusq; & ſortis ſolutionem diſtulit & diuiſit, diſtulit quoq; & diuiſit vſurarum ſolutionem, & proinde Publius Mœuius à me totius ſortis vſuras non rectè petit, atq; ita ex ſpecie *d.l.lecta.* apparet, quòd pactum in continenti ſtipulationi adiectum, ineſt tan-

tantùm ex parte rei. Ex parte actoris, vt formet actionem ex ſtipulatu, pactum ineſſe non probat. Vnde relinquitur ex pacto in continenti adiecto contractui ſtricti iuris vſuras deberi non poſſe. Nec aduerſatur *l. venditor, communia prædio.* in qua ICtus bonæ fidei & ſtricti iuris contractus, ſtipulationem & venditionem coniungit, & docet non modò ipſos contrahentes, verùm etiam heredes eorum, per ſtipulationis vel venditionis legem obligari. Ita ICtus ibi loquitur. Quòd ſi per 12
ſtipulationis legem non minus obligemur, quàm per legem venditionis, vſuræ certè non minus ex ſtipulationis lege, quã ex lege venditionis debebuntur. Sed hoc vt dixi non obſtat. Etenim cum ICtus dicit, nos obligari per ſtipulationis vel venditionis legẽ, nequaquam hoc vult dicere, quòd obligamur per legem ſiue pactionẽ ſtipulationi adiectam, ſed ſententia ICti hæc eſt, quòd obligamur per ſtipulationẽ adiectam venditioni, vel per pactionem venditioni ſubditam. Et lex eſt non ſolùm pactio, ſed & ſtipulatio facta ſtatim in ipſo contractu. Iacobus Cuiatius in 8. ad Africanum, in explicatione *l. Titius Sempronio,*

*de præſcrip. verbis.* Et hæc de pactione, pri-
13 ma cauſa ex qua vſuræ debentur. Dein-
de vſuræ debentur ex mora in bonæ fidei
contractibus quemadmodum à ICtis &
Imperatorib. paſsim traditū eſt. Sic enim
Martianus ICtus inquit *in l. mora, de vſuris.*
In bonæ fidei contractibus vſuræ ex mo-
ra debentur. Et Paulus ait, vſuras propter
moram non ſoluentium infligi, *in l. cùm
quidam, §. ſi pupillo, de vſuris. & ibi in §.
proximè ſequenti.* idem Paulus inquit, eum,
qui ex locato conuenitur, non niſi ex mo-
ra vſuras præſtare debere. A Gordiano
quoq; Imperatore reſcriptum eſt, vſuras
in depoſiti actione, ſicuti in cæteris bonæ
fidei iudiciis ex mora venire ſolere. *l. 2. C. de
poſiti.* Et Diocletianus & Maximinianns re-
ſcripſerunt, ex locato & conducto actio-
nem, cùm ſit bonæ fidei, poſt moram vſu-
ras legitimas admittere *in l. præſes, C. de lo-
14 cato & conducto.* Mora autem nihil aliud
eſt, quàm ſoluendi vel accipiendi debiti
fruſtratoria dilatio, vt colligi poteſt *ex l.
3. §. fina. & l. ſciendū, de vſur. l. ſi ſoluturus, de
ſolutio. In d. l. 3.* Papinianus morā fruſtrati-
onē appellat. Et Tryphoninus ICtus eum
qui vi aliquid rapit, reſpondit plus quàm
fruſtra-

fruſtratorem ſiue moratorem eſſe, *in l. penult.* vnde vi & de vi armata. In *d. l. ſciendum, de vſur.* Vlpianus docet, moram eſſe dilationem. Et *ex d. l. ſi ſoluturus, de ſolutio.* conſtat, non ſolùm debitorem in ſoluendo, verùm etiam creditorem in accipiendo moram facere poſſe. Et ſi debitor in ſoluendo moram faciat, propter moram vſuras debet. Si creditor faciat moram in accipiendo, vſuras non præſtat, quia nec pecuniam debet, ſed mora creditoris alia ratione cohercetur, quia poſt moram, pecunia eius periculo eſt. *d. l. ſi ſoluturus, de ſolutio.* Præſtat verò debitor vſuras ex mora, in negotiis bonæ fidei tantùm, non etiam in negotiis ſtrictis, & propterea Iuriſconſulti & Imperatores in reſponſis & reſcriptis ſuis nominatim iudiciorum ſiue contractuum, qui bonæ fidei ſunt, mentionem faciunt, vt oſtendant in negotiis ſiue contractibus ſtrictis, ex mora vſuras non deberi. At obſta- 15
re videtur. *l. Titia Seio, §. 1. de legat. 2.* ibi teſtator puellæ per fideicommiſſum reliquit centum: heres teſtatoris puellæ fideicommiſſum non ſoluit, A Papiniano reſponſum eſt, non ſolùm fi-

deicommiſſum puellæ deberi, verùm etiã ſimul deberi vſuras fideicommiſſi, ex illo tempore, quo heres moram in ſoluendo fideicommiſſo fecit. Ad fideicommiſſum negotium ſtrictum eſt, quia non numeratur inter negotia, quæ bonæ fidei naturam habent, in §. actionum autem. Inſtitut. de action. Sic quoq; legatum ad negotia ſtricta pertinet, & tamen legatorum ſicuti fideicommiſſorum vſuræ ex mora debentur. *toto titulo de vſur. & fructibus legato. ſeu fideicommiſſo. l. 3. §. nonnunquam de vſuris. in C.* ibi ab Imperatoribus *in l. 1. & 2.* reſcriptum eſt, legatorum & fideicommiſſorum vſuras poſt litem conteſtatam deberi, hoc eſt, poſt moram. Mora enim fit duobus
16 modis: vel per litis conteſtationem. *d. l. 1. & 2. C. de vſur. & fructibus legato.* vel per interpellationem extraiudicialem. *l. 3. de vſuris.* ibi quod diligenter notandũ, eſt, ſententia primo & tertio loco ſignificat admonitionem Prætoris fideicommiſſarii, quæ litem præcedit: ſecundo & quarto loco accipitur pro re iudicata. In negotiis igitur ſtrictis vſuræ quoq; ex mora debentur. Hæc obiectio tollenda eſt adhunc modum. Quòd diximus, in negotiis bonæ fidei, vſuras ex

mora

mora venire, non in negotiis ſtrictis, ab hac regula excipienda ſunt legata & fideicommiſſa, quorum natura ſtricta quidem eſt, & tamen nihilominus vſuræ ex mora debentur. Legata enim & fideicom- 17
miſſa, propter fauorem vltimarum voluntatum, non cenſentur eodem iure ſtricto, quo reliqua negotia ſtricta. Sic videmus, quòd non omnia negotia bonæ fidei, eadem bona fide æſtimantur, ſed alia aliis ampliorem & maiorem bonam fidem deſiderant. Exemplo ſit depoſitum, quod longè ampliorem & vberiorem bonam fidem requirit, quàm commodatum, mandatum, aut vllus alius bonæ fidei contractus. Hinc actio depoſiti eſt famoſa, reliquæ non ſunt *l.1.& 6. de his qui notan. infam.* Hinc depoſitarum rerum ratio anteponitur priuilegiis. *l. ſi hominem, §. quoties, depoſiti.* Hinc chirographis depoſitarum rerum, non opponitur exceptio non numeratæ pecuniæ. *l. in contractibus, C. de non nume. pecun.* Hinc deniq; fit, quòd actioni depoſiti non obiicitur compenſatio. *l. vlt. C. de compenſatio. l. vlt. C. de commodato.* Sed ibi pro commodati legendum eſt commendati, ac debuit lex illa poni ſub titulo de-

 poſiti,

poſiti, in quo duæ aliæ ſunt leges de commendato, lex nimirum *6. & 9.* Ac commendatum nihil aliud eſt, quàm depoſitum. *l. Lucius Titius, depoſiti.* Iſidorus *libro 5. etymolog.* Depoſitum eſt pignus commendatum. Iacobus Cuiatius *in 2. recepta. ſententia. Pauli tit. 12. de depoſito.* Quemadmodum igitur non omnia bonæ fidei negotia eadem bona fide regulantur: ita non omnia negotia ſtricta pari iure ſtricto cenſentur, ſed bona fides, quæ in iis quoq; requiritur, licet in bonæ fidei contractibus maximè exigatur *l. 5. C. de reſcin. vendit.* in aliis magis ſpectatur, in aliis minus: & magis quidem in legatis & fideicomiſſis, vt defunctorum voluntates, quibus iura plurimùm fauent, conſeruentur, quàm in ſtipulationibus, & propterea legatorum & fideicommiſſorum vſuræ debentur ex mora eius quod ex ſtipulatione vel ex mutuo debetur, vſuræ ex mora non debentur. Sed obiicitur *d. l. lecta, de reb. credit.* in qua P. Mæuio ex mora debentur vſuræ pecuniæ creditæ ſiue mutuo datæ. Verum id admittendum non eſt. Licet enim ibi debitor Publio Mœuio creditori poſt moram commiſſam, & pecunia

Ca-

Calendis proximis non ſoluta, præſtat vſuram: tamen vſura illa non debetur ex mora, ſed ex ſtipulatione, quæ in caſum, quo mora fieret, concepta fuit, ac pœnam moræ continet, & propterea pœna dicitur *in d. l. lecta, de reb. cred. & in l. cùm ſtipulati ſumus, de verb. oblig. vt ſup. quoq; c. 2. monui.* At rurſus obiicitur *l. 1. §. 1. de vſur. & l. 5. C. de action. empti. In l. 1. excellentiſsimi ingenii vir Papinianus docet*, ſocium, qui pecuniam communem inuaſit, vel in ſuos vſus conuertit, omnimodò etiam mora non interueniente, præſtare vſuras. In *l.* 18
5. à ſacratiſsimis Imperatoribus reſcriptum eſt, emptorem, qui nactus poſseſsionē fructus percepit, partem pretii, quam penes ſe habet cum vſuris reſtituere debere, licet nulla mora interceſſerit. Notandū eſt quòd Papinianus & Imperatores aiunt, vſuras deberi, etſi nulla mora interuenerit. Loquuntur autem Papinianus & Imperatores de contractu ſocietatis, & emptionis ac venditionis. Vterq; contractus tam ſocietatis quàm emptionis & venditionis, bonæ fidei contractus eſt. *§. actionum autem, Inſti. de actio.* Cum igitur in contractu ſocietatis, emptionis itē ac venditio-

ditionis, vſuræ debeantur, nulla mora intercedente falſum aut ſuperuacuum ſaltem eſſe videtur, quòd diximus, in bonæ fidei contractibus vſuras ex mora venire. Fruſtra in bonæ fidei negotiis fit mentio moræ, ſi etiam abſq; mora vſuræ præſtantur, cùm de iis præſtandis nihil conuentum eſt. Hæc difficultas tolli aliter non poteſt, quàm adhibita moræ diſtinctione.
19 Mora duplex eſt: Alia eſt in re. *l. cum verò, §. apparet, de fideicommiſſa. liberta.* quam ICti etiam moram ex re, *l. mora, de vſur.* & Imperatores moram quæ re ipſa fit, in *l. in minorum, C. in quibus cauſis in integr. reſtitutio* &c. ſiue moram quæ in rem fit, *l. vlt. C. de condict. ob turpem cauſam*, appellant, eaq; ex ſolo tempore tardæ ſolutionis fit. *d. l. in minorum, C. in quib. cau. in integ. reſtitutio neceſ. non eſt.* Alia eſt mora in perſona, ſiue ex perſona, *d. l. mora, de vſuris*, quæ fit per interpellationem oportuno tempore & loco, vt eleganter ICtus tradidit *in d. l. mora, de vſuris.* Illam interpretes vulgò extraordinariam & irregularem, hanc ordinariam & regularem appellant. Bartol. & alii *in d. l. mora, de vſuris.* Mora in re, collata ad moram quæ fit ex perſona, propriè loquen-

loquendo non eſt mora. Et ICti ac Impe- 20
ratores reſpicientes ad moram, quæ fit ex
perſona, moram illam, quæ ex re fit, ſæpius
dicunt moram non eſſe, nec pro mora eſſe
habendam. Id ex ſequentibus planum ac
perſpicuum fiet. Ac in primis intelligitur
hoc ex *d.l.Titia Seio, §.1.de legat.2.* ibi Pau-
lus ICtus inquit, conſtitutum eſſe, vt mi-
noribus viginti quinq; annis vſuræ omni-
modò præſtentur, ſed tamen hoc non pro
mora eſſe habendum, quam ſufficiat ſe-
mel interueniſſe, vt vſuræ perpetuò debe-
antur. Notandum diligenter eſt, quod Iu-
riſconſultus Paulus dicit, minoribus om-
nimodò vſuras deberi, & tamen hoc non
eſſe pro mora habendum. Ex iis verbis ef-
fici videtur, vſuras deberi, etſi mora non
interuenerit. Etenim Paulus nominatim
affirmat, minoribus omnimodò vſuras
eſſe præſtandas, nec adiicit minoribus ex
re moram fieri. Quin imò Paulus non ſo-
lùm non facit mentionem moræ, quæ fit
ex re, ſed hoc amplius negat moram in-
tercedere. Tentari ergo poſſet, minoribus
vſuras deberi, & tamen minoribus mo-
ram non fieri, neque ex re, neque ex per-
ſona. Cæterùm quamuis Paulus expreſſè

non meminerit moræ, quæ fit ex re : tā-
12 men omninò certum eſt, minoribus vi-
ginti quinq; annis in re moram fieri. *l. cùm
verò, §. apparet, de fideicom. liberta l. in mino-
rum, C. in quib. cauſis in integr. reſtit. neceß.
non eſt.* Nec id Paulus ibi negat. Imò Pau-
lus non obſcurè ſignificat, minoribus vi-
ginti quinq; annis in re moram fieri. Nam
Paulus inquit, conſtitutum eſse, vt mino-
ribus viginti quinq; annis vſuræ præſten-
tur. Cum dicit Paulus, conſtitutum eſſe,
reſpicit ad conſtitutionem Diui Seueri
Imperatoris, qui authore Vlpiano conſti-
tuit, vt minoribus in re mora fieret. *d. l.
cum verò, §. apparet, de fideicom. liberta.* Et
quia minoribus in re mora fit, ex conſtitu-
tione Diui Seueri, propterea minoribus
viginti quinq; annis vſuræ ſunt præſtandæ.
Hic eſt moræ effectus, quem Paulus ex
conſtitutione Diui Seueri, quæ vult, vt mi-
noribus viginti quinq; annis in re mora
fiat, colligit. Hæc tamen mora in re, pro-
pter quam præſtantur minoribus vſuræ,
non eſt habenda, ſecundum Paulum, pro
mora, quia ceſsat, poſtquam minores ma-
iores facti ſunt, & annos viginti quinq;
impleuerunt, & idcirco poſt impletos an-
nos

nos viginti quinq; vſuræ, quæ antea ex mora in re facta debebantur, non amplius debentur, ſed vnà cum mora in re ipſa ceſſant, nec rurſus incipiunt deberi, niſi mora fuerit facta ex perſona. *d. l. Titia Seio, §.1. de legat. 2.* Et vbi ſemel mora ex 22
perſona facta eſt, atq; ita vſuræ propter moram ex perſona factam deberi cœperunt, poſtea perpetuò debentur. *d. l. Titia, §. 1. de lega. 2.* Mora namque obligationem perpetuat. *l. ſi ſeruum, §. ſequitur, de verb. obligat.* Intelligimus igitur *ex d. l. Titia Seio, §. 1. de legat. 2.* moram in re non habendam pro mora, reſpectu alterius moræ, quæ fit ex perſona. Hoc ipſum quoq; intelligi poteſt *ex d. l. mora, de vſuris*, quæ Martiani eſt *ex libro 4. regularum.* Inquit Martianus: Mora fieri intelligitur, non ex re, ſed ex perſona. Hic Martianus nominat moram ex re, nominat quoq; moram ex perſona: & moram ex re negat moram eſſe, habito reſpectu ad moram, quæ fit ex perſona. Sic Scæuola ICtus *in l. nulla de Regulis iuris.* docet, moram quæ fit ex perſona, moram eſſe, & moram quæ fit ex re, non eſſe moram. Ita enim inquit: Nulla intelligitur mora ibi fieri, vbi nulla petitio eſt. Petitio ſignificat interpellationē

ſiue

ſiue admonitionem, & mora quæ fit per petitionem ſiue interpellationem ſiue admonitionem, eſt mora quæ fit ex perſona. Cum igitur Scæuola dicit, nullam ibi fieri moram, vbi nulla eſt petitio, hoc dicere videtur, moram fieri ex perſona, per petitionem ſiue interpellationem, & illam propriè moram eſſe, non fieri moram in re, nec moram illam eſſe dicendam, quæ in re fiat, ſine petitione ſiue interpellatione. Sic quoque Paulus in *l. lecta, de reb. credit.* inquit: Non eſt in mora is, à quo pecunia peti non poteſt. His cognitis, facilè nunc eſt reſpondere ad d. l. 1. §. 1. de vſur. & ad *d. l. 5. C. de action. empti.* Quod enim ibi dicitur, vſuras deberi etiam mora non interueniente, hoc accipiendum eſt de mora quæ fit ex perſona. Et ſocius, qui pecuniam communem inuaſit, vel in ſuos vſus conuertit, præſtat ſocio vſuras omnimodò, etiam mora non interueniente, hoc eſt, quamuis ſocius non interpellauerit ſocium, vt pecuniam ſolueret, & mora ex perſona non interuenerit, tamen nihilominus ſocius ſocio vſuras præſtabit, atque ita mora ſignificat ibi moram quæ fit ex perſona, & hæc pro-

propriè mora eſt, quæ cùm non interue-
nerit, & ſocius ſocium non interpella-
uerit, Iuriſconſultus ſimpliciter dicit,
moram non interueniſſe, intelligens, vt
dictum eſt, moram ex perſona, non mo-
ram ex re: ibi enim in re mora fuit, licet
non interceſſerit mora ex perſona. Quod
verò ICtus Papinianus, *in d.l.1.§.1.de vſu-
ris*, per moram intelligat moram illam,
quæ ex perſona fieri dicitur, quòdque ibi
nihilominus ex re mora facta fuerit, pri-
mùm ex eo intelligitur, quòd Papinia-
nus ait, ſocium ſocio præſtare debere vſu-
ras. At vſura propter moram non ſoluen-
tium infligitur. *l.cùm quidam, §.ſi pupillo, de
vſuris*. Inde igitur relinquitur, *in d.l.1. §.1.
de vſur.* vbi ſocius præſtat ſocio vſuras,
propter moram vſuras præſtari. Et fruſtrà
quis dixerit, illud Pauli, vſuræ propter
moram non ſoluentium infliguntur, acci-
piendum eſſe de mora, quæ fit ex perſona,
& non de mora, quæ fit ex re. Etenim Pau-
lus *in d.l.cùm quidam, §.ſi pupillo, de vſuris.*
de pupillis & minoribus loquitur, & oſten-
dit, iis deberi vſuras non propter lucrum
petentium, ſed propter moram non ſol-
uentium. At pupillis & minoribus non

F ſolùm

ſolùm mora fit ex perſona, ſed etiam ex re, ex quo ſequitur, Pauli reſponſum, vſuræ propter moram non ſoluentium infliguntur, tam de mora quæ fit ex re, quàm de mora quæ fit ex perſona, intelligendum eſſe. Deinde moram re ipſa fieri Imperatores reſcripſerunt, ex ſolo tempore tardæ ſolutionis, *d. l. in minorum, C. in quib. cauſ. in integ. reſtit. neceſſ. non eſt.* Socius autem qui pecuniam communem inuadit, vel in ſuos vſus conuertit, tardius ſoluit. Inde ſequitur, ſocium ex ſolo tempore tardæ ſolutionis morã committere. Hoc amplius *in d. l. Titia Seio, §. 1. de legat. 2.* mora in re fuit facta, quod extra omnem dubitationem eſt, cùm ibi de minoribus viginti quinque annis agatur, quibus in re mora fit, & tamen ICtus dicit, hoc pro mora non eſſe habendum. Ad eundem ergo modum Papinianũ *in d. l. 1. §. 1. de vſur.* exaudire debemus. Nam licet ibi ſocius pecuniam communem inuadendo, & in ſuos vſus conuertendo, re ipſa moram faciat: tamen Papinianus affirmat, moram non interuenire. Et notandum eſt, quòd Papinian9 inquit, omnimodò vſuras præſtari. Sic Paulus quoq; loquitur, conſtitu-

tum

tum eſſe, vt omnimodò vſuræ præſtentur, *in d.l. Titia Seio, §.1.de legat.2.* Papinianus ait, moram non interuenire. Paulus inquit, pro mora hoc habendum non eſſe. *d.l.Titia Seio, §.1.de legat.2.* Quæ verborum ſimilitudo & conuenientia argumentum non leue præbet *in d.l.1.§.1.de vſur.* moram ex re non minus factam eſſe, quàm mora re ipſa fit, *in d.l.Titia Seio, §.1.de legat.2.*

24 Accedit ad ſuperiores rationes, quod ſocius, qui pecuniam communem inuadit, quo verbo deprædatio ſignificatur, furtum facit: furtum enim fit etiam pecuniæ communis, *l. rei communis, pro ſocio.* Sic ſimile furto eſt, ſi ſocius pecuniam communem clam in ſuos vſus conuertit. Simile, inquam, furto eſt, quia ſocius clam id facit & latenter lucri ſui cauſa: non eſt furtum, quia ſocius quaſi ſuo iure pecunia vtitur, non quaſi nunquam redditurus vel reſtituturus pecuniam, quam in ſuos vſus conuertit.

25 Fur autem ex tempore delicti ſemper moram re ipſa, ſine interpellatione facit. *l. vlt. C. de condict. ob turpem cauſam. l. vlt. de condict. furti.* Inde conſequens eſt vt dicamus, ſocium quoq;, qui

pecuniam communem inuaſit, vel in ſuos vſus conuertit, ipſa inuaſione & conuerſione pecuniæ communis in ſuos vſus, in re moram facere, & propterea ſocium ſocio præſtare omnimodò vſuras, etſi mora non interuenerit, hoc eſt, etſi ſocius interpellatus non fuerit de reddenda pecunia, vel in commune conferenda. Deniq; quòd ſocius, qui pecuniam communem inuaſit, vel in ſuos vſus conuertit, re ipſa moram faciat, *ex d.l.1. de vſur.* oſtendi poteſt. ibi Papinianus primùm de iudicio ſocietatis agit, deinde de actione tutelæ.
26 Et quod ád iudicium ſocietatis attinet, docet ſocium ſocio præſtare vſuras, ſi pecuniam communem inuaſerit, vel in ſuos vſus conuerterit. Poſtea ad actionem tutælæ Papinianus tranſiens, circa tutelæ reſtitutionem pro fauore pupillorum, latiorem interpretationem factam eſſe ait. His verbis Papinianus docet, tutorem, qui rationibus reddendis obnoxius eſt, & rationes reddere differt, ſemper pupillo præſtare vſuras, ſiue pecuniam pupilli in ſuos vſus conuertit ſiue non: atque ita circa tutelæ reſtitutionem latior fit interpretatio, quàm in iudicio ſocietatis. Soci-

us

us namque, vt dictum eſt, præſtat ſocio vſuras, ſi pecuniam communem inuaſit, vel in ſuos vſus conuertit. Tutor, qui tu- 27
telam non reſtituit, hoc eſt, non reddit rationem tutelæ, præſtat pupillo ſemper vſuras, ſiue inuaſit & in ſuos vſus pecuniam pupilli conuertit, ſiue non inuaſit, nec in ſuos vſus pecuniam pupilli conuertit. Tutor autem tutelam non reſtituens, in re moram facit, quia minoribus ſemper in re mora fit, vt ſup. expoſitum eſt. Inde ſequitur, ſocium quoq; qui pecuniam communem inuaſit, vel in ſuos vſus conuertit, in re quoq; moram facere, quia aliàs Papinianus iudicium ſocietatis & actionem tutelæ ineptè copularet, ac ineptè diceret, in actione tutelæ latiorem fieri interpretationem, quàm in iudicio ſocietatis. His rationibus, vt opinor, ſatis demonſtratum eſt, *in d. l. 1. §. de vſuris.* moram in re factam eſſe, & propterea vſuras deberi, quamuis mora non interuenerit, hoc eſt, quamuis ſocius interpellatus non fuerit, vt pecuniam communem ſolueret. In *d. l. 5. C. de action. empti.* mora quoque fuit facta in re, quod perſpicuè ex eo intelligitur, quòd Imperatores Diocletianus & Maximianus

nus minoris ætatis mentionem faciunt. At minoribus in re mora fit. *d. l. cùm verò, §. apparet, de fideicommiſſa. libertatib. d. l. in minorum, C. in quib. cauſis in integ. reſtitutio neceſ. non eſt.* Nihil igitur apertius, nihil planius, nihil magis perſpicuum, quàm quod *in d. l. 5. C. de actio. empti.* emptor, qui pretium vel partem pretii non ſoluit, re ipſa moram facit, & propterea emptor minori vſuras præſtat. At dices, Imperator Diocletianus & Maximianus in ſuo reſcripto nominatim cauſas expreſſerunt, quare emptor, qui partem pretii non ſoluit, venditori vſuras debeat præſtare. Cauſæ duæ ſunt. Prior hæc eſt: Emptor nactus eſt poſſeſsionem fundi venditi, & ex fundo fructus percepit, & propterea æquum eſt, vt in vicem fructuum perceptorum, partem pretii cum vſuris reſtituat. Poſterior ratio eſt: Venditor eſt minor viginti quinque annis, & idcirco minoris ætatis fauor efficit, vt emptor partem pretii cum vſuris ſoluat. His cauſis non adiiciunt Imperatores tertiam cauſam, moram ſcilicet in re. Nulla ergo ibi mora in re facta fuit. Ad hanc obiectionem reſpondeo. Cauſæ ab imperatoribus

ribus *in d.l.5.C. de actionib. empti.* expreſſæ, non tollunt moram in re, ſed potius efficiunt, vt dicamus, ibi moram in re factam eſſe. Etenim *in d.l.5.C.de action. empti.* minori viginti quinque annis vſuræ præſtantur & minori viginti quinque annis in re mora ſit, vt ſup. ſæpius dictum eſt. Cùm igitur Imperatores *in d. l. 5.* minoris ætatis mentionem faciunt, & propter fauorem minoris ætatis, cui etiam rationem perceptorum fructuum adiungunt, vſuras deberi aiunt, iam ſatis Imperatores oſtendunt, in re moram ibi fieri. Et cau- 28
ſa, quare minoribus viginti quinque annis in re mora ſemper fiat, eſt fauor minoris ætatis. Hanc cauſam qui exprimit, illam, quòd in re mora fiat, ſatis ſignificat, atque ita ex his apparet, *in d. l. 1. §. 1. de vſuris, & in d. l. 5. C. de action. empti.* vſuras quoq; ex mora deberi. Ex mora, inquam, quæ ex re fit, non ex mora, quæ fit ex perſona, quæ nulla ibi interuenit. Et ex his conſequenter intelligimus, id, quod dicimus in bonæ fidei contractibus vſuras deberi ex mora, intelligendum eſſe de mora quæ ex perſona, 29
vel ſaltem ex re fit. Ac vſura quæ non de-

betur ex pacto, nec ex ſtipulatione, de qua paulò poſt dicemus, ex mora quæ vel reipſa, vel ex perſona fit, debetur, nec vnquam vſura aliter deberi poteſt, quàm ſi vel pactum, vel ſtipulatio, vel mora intercesſerit.
30 Nec obſtat *l. Iulianus, §. ex vendito, de actio. empti.* in qua Vlpianus ICtus, quem Modeſtinus & Iuſtinianus Imperator egregium legum verticem appellant. *l. 2. §. fin. de excuſatio tuto. §. fin. de æqualitate dotis*, docet, quòd emptor venditori, poſt diem traditionis, vſuras præſtare debeat. Nam, inquit Vlpianus, cùm re emptor fruatur, æquiſsimum eſt, eum vſuras pretii pendére. Etenim & ibi emptorem in re moram feciſſe, & propterea venditori vſuras præſtare dicimus. Quòd in re mora ibi intercedat, ex eo datur intelligi, quòd emptor re fruitur, & hæc eſt cauſa, propter quam emptor reipſa moram facit. Sic Diocletianus & Maximinianus Imperatores *in d. l. 5. C. de action. empti*, inter cauſas quæ moram in re, & ex mora vſuras generant, traditionem poſſeſsionis à venditore factam, ex qua emptor fructus percipit, numerant. Et Hermogenianus ICtus libro 2. epitomarum iuris tra-

tradidit, emptorem, qui pretium venditori non ſoluit, moram facere, & idcirco vſuras præſtare in l. final. de pericu. & commo. rei vendi. Albericus quoque de Roſate *in d. l. Iulianus*, *§. ex vendito.* vſuras ex mora deberi affirmare non dubitauit in *d. l. in minorum, num. 1. verſi. ſed iſti varii intellectus, C. in quibus cauſis in integr. reſtitutio neceſſa. non eſt.* Et Gabriel Mudæus *in d. l. Iulianus, §. ſi fructibus*, optimè cautum eſſe inquit, vt emptor nactus poſſeſſionem fundi, iam velut re ipſa in mora conſtitutus, pretium cum vſuris reſtituat. Alexander etiam *in l. quod te, num. 8. ſi certum petet.* generaliter tradidit, in contractibus vltro citroq; obligatoriis, vno adimplente pro parte ſua quod debet, alterum contrahentium re ipſa in mora conſtitui, ſi quod debet non ſimiliter impleat. Baueria in tractatu de mora, *parte. 2. num. 19.* Menochius *de arbitra. iud. quæſtio. libro 2. centu. 3. caſu 220. num. 22.* In *d.* igitur *l. Iulianus, §. ex vendito, de actio. empti.* mora quoq; in re fuit facta, & propter moram in re factam, vſuræ debentur. Sic *in l. 2. h. tit. n.* in qua Imperatores reſcripſerunt, quòd vſuras emptor, cui poſſeſſio rei tradita eſt, 31

ſi pretium venditori non obtulerit, quamuis pecuniam obſignatam in depoſiti cauſam habuerit, æquitatis ratione præſtare cogitur, in re moram factam fuiſſe dicemus. At dices à Diocletiano & Maximiano reſcriptum eſt in minoris perſona, vt re ipſa ex ſolo tempore tardæ pretii ſolutionis mora fiat. *d.l.in minorum, C. in quibus cauſis in integr.reſtitut.neceſſa.non eſt.* Inde videtur dicendum, emptorem qui nactus poſſeſsionem rei venditæ, pretium non ſoluit, re ipſa moram non facere. Fruſtrà enim Imperatores de minoribus hoc reſcripſiſſent, ſi non ſolis minoribus, ſed etiam maioribus ex ſolo tempore tardæ pretii ſolutionis, mora fieret. Huius contrarii metu, vt Albericus de Roſate loquitur in d.l.in minorum, C. in quibus cauſis in integr.reſtit.neceſſaria non eſt. alii aliter *d.l.in minorũ,C.in quibus cauſis,&c.* interpretati ſunt, vt apud Albericum de Roſate & alios videre licet. Nos iis omiſſis dicemus, Diocletianum & Maximianum Imperatores, ideò de minoribus reſcripſiſſe, in minorum perſona re ipſa ex ſolo tempore tardæ pretii ſolutionis moram fieri, quòd ad ipſos quæſtio de minore,

re,cui tardius pretium ſolutum erat,eſſet
delata. Et omnes leges Codicis ex re,ſiue,
quæſtione propoſita natæ ſunt. Sic iidem
Imperatores Diocletianus & Maximia-
nus *in d.l.5.C.de actio.empti.* cùm de vſuris
minori præſtandis quæſitum eſſet, reſcri-
pſerunt,emptorem partem pretii, quam
penes ſe habet,cum vſuris reſtituere de-
bere,idq; perceptorum fructuum ratio-
nem & minoris ætatis fauorem facere.Ex 32
eo verò, quod Imperatores ad quæſtio-
nem de minore,cui pretium tardius ſolu-
tum fuit,reſcripſerunt, in minorum per-
ſona,ex tardiori pretii ſolutione re ipſa
moram fieri,inferendum non eſt, maiori,
qui poſſeſsionem rei venditæ emptori tra-
didit,in re moram non fieri,ſi emptor pre-
tium tardius inferat. At inſtare quis poſ-
ſet hoc modo: Diuus Seuerus Impera-
tor nominatim conſtituit, vt minoribus
in re mora fieret. Ita ab Vlpiano rela-
tum eſt *in d.l.cùm verò,§.apparet, de fidei-
commiſſa.liberta.* Ad hanc conſtitutio-
nem Diui Seueri reſpicit Paulus *in d. l.
Titia Seio,§.1.ibi,quamuis enim conſtitutum
ſit,de legat.2.* Hæc autem neceſſe non fuit
minoribus conſtitui,ſi maiorib. quoq; vi-
ginti

ginti quinq; annis in re mora fit. Dicendum igitur videtur, aut fruſtra in minoribus hoc eſſe conſtitutū, aut in maioribus non eſſe idem dicendum quod in minoribus. Hæc difficultas tolli facilè poteſt, inſpecta. *d.l. cum verò §. apparet, de fideicom.*
23 *liberta.& d.l. Titia Seio, § 1. de legat. 2.* Nam Vlpianus & Paulus ibi docent, quòd Diuus Seuerus Imperator circa pecuniaria fideicommiſſa, quæ minoribus relicta ſunt, in re moram eſſe, conſtituerit. Notanda ſunt apud Vlpianum hæc verba, circa pecuniaria fideicommiſſa. Sic Paulus de fideicommiſſo puellæ relicto in ſpecie loquitur, & conſtitutum eſſe ait, vt minoribus viginti quinque annis vſuræ omnimodò præſtentur. Conſtitutio ergo Diui Seueri pertinet ad fideicommiſſa & legata, quæ ſtrictam naturam habent. Et legatis ſiue fideicommiſſis minoribus viginti quinq; annis relictis, & non ſolutis, in re minoribus mora fit, & conſtitutione Diui Seueri. Et idcirco legatorum & fideicommiſſorum vſuræ minoribus ex mora debentur. Maioribus viginti quinque annis legato vel fideicommiſſo relicto mora in re non fit, ſed mora fit per interpella-

pellationem. Et ſi heres interpellatus, maioribus viginti quinq; annis legatum & fideicommiſsum non ſoluerit, poſt interpellationem & moram ex perſona factam, vſuras præſtare compellitur. *d.l. Tiſi a Seio, §.1.de legat.2. toto tit. de vſuris & fructibus legato. vel fideicommiſſo. in C.* Inde apparet conſtitutionem Diui Seueri otioſam non eſſe, eamque ſuper negotiis ſtrictis promanaſse. Et hæc de mora, ſecunda cauſa ex qua vſuræ debentur. Tertia vſurarum cauſa eſt ſtipulatio, quæ à ſtipulo, quod veteres firmum appellauerunt, nomen habet, ſecundum Iuſtinianum in Inſtit. de verbo. obligat. in prin. & Paulum *in 5. ſenten. titulo 7. de obligatio.* & Iſidorum *lib. 10. etymologia.* vel à ſtipe, hoc eſt, ære ſiue pecunia, vt Varroni *lib. 4. de lingua Latina* placuit, quòd pecunia frequentius in ſtipulationem veniat. Corraſius *libro 1. Miſcellan. c. 25. & in l. 1. de verbo. obligatio.* & inde Vlpianus, ſtipendium quoque appellatum tradit, quòd per ſtipes, hoc eſt, modica æra colligatur. *l. ager, de verb. ſignifi.* Ac eſt ſtipulatio nihil aliud, quàm contractus, ex quo verborum obligatio conſtituitur. Dico ex quo verborum obligatio 34

53 ligatio conſtituitur, quia verborum obligatio nequaquam eſt periphraſis ſtipulationis, vt Eguinario Baroni, Corraſio & aliis placuiſſe video. Et ſicuti quilibet contractus diſtat ab obligatione, quam parit: ita ſtipulatio differt à verborum obligatione. Cuiatius *in l. 1. de verbo. obligatio.* Et ſtipulatio eſt contractus, qui producit obligationem, quæ verborum obligatio nuncupatur. Ex ſtipulatione autem vſuræ deberi poſſunt, in omnibus contractibus & bonæ fidei & ſtricti iuris. Omnibus ſiquidem contractibus ſtipulatio ſubiici poteſt, cùm aliarum obligationum firmandarum cauſa inducta ſit, authore Paulo *libro 5. ſententia. titu. 7.* Sed in bonæ fidei contractibus vſuræ non tantùm ex ſtipulatione debentur, ſed etiã ex pacto, itemq́; ex mora, vt ſup. expoſitũ eſt. At in contractibus ſtrictis vſuræ regulariter ex pacto non debentur, nec ex mora, ſed ex ſtipulatione. Si ergo centum tibi mutuo datis, in continenti inter te & me nudo pacto conuenit, vt vſurarum nomine quinque mihi præſtares, vſuræ non debentur. Aliud dicimus, ſi vſuræ pecuniæ creditæ in ſtipulationem deductæ fuerint: tunc enim vſuras

ſuras petere poſſum. *l.3.h.tit.noſtro,de vſur.* ibi Seuerus & Antoninus in hæc verba reſcripſerunt: Quamuis vſuræ fœnebris pecuniæ, citra vinculum ſtipulationis, peti non poſsint, tamen ex pacti conuentione ſolutæ, neq; vt indebitæ repetuntur, neque in ſortem accepto ferendæ ſunt. Ex hoc reſcripto intelligimus, vſuras pecuniæ creditæ nudo pacto promiſſas peti non poſſe. Ratio ex iis, quæ ſup. dicta 36
fuerunt, intelligi poteſt. Ratio eſt, quia pactum nudum ad actionem nemini proficit. *l. iuris gentium, §. igitur nuda pactio, de pactis. l. ſolent, de præſcriptis verbis. l. legem, l. cùm proponas, C. de pactis. l. ſiue apud, C. de tranſactio. l. 1. C. de pactis conuentis.* Idque ſæpè conſtitutum eſſe Imperatores reſcripſerunt *in l.5. de contrah. ſtipulat.* Imò etſi in continenti contractui ſtricti iuris ſubditum fuerit pactum, non tamen ex parte actoris ineſt, nec actionem format, vt ſup. expoſitum eſt. Deinde ex di- 37
cto Diuorum Seueri & Antonini reſcripto & hoc intelligimus, quòd vſuræ pecuniæ creditæ nudo pacto promiſſæ & ſolutæ non poſsunt repeti, neque in ſortem computari. Ratio eſt, quia

vſu-

vſuræ nudo pacto promiſſæ licet ciuiliter non debeantur, naturaliter tamen deben-
38 tur. Ex pacto enim naturalis obligatio deſcendit. *l. 5. §. 1. ibi*, ex pacto naturaliter debebantur. de ſolutio. Et ad impediendam condictionem indebiti, naturalis obligatio, ſufficit. Nec enim indebitum dici poteſt, quod vel natura debetur. toto titu. de condict. indeb. Vſuræ igitur pecuniæ creditæ nudo pacto promiſsæ peti non poſſunt, quod etiam ab Vlpiano traditum eſt *in l. idemq; §. ſi quis Titio, mandati*. ibi Vlpianus docet, eum qui Titio mandauit, vt ab actoribus ſuis mutuã pecuniã acciperet mandati agere non poſſe, & ita Papinianum ſcripſiſse, quia de mutua pecunia habeat Titium obligatum, & ideo vſuras eum petere non poſſe, quaſi ex cauſa mandati, ſi in ſtipulationem deductæ non ſunt. His verbis poſtremis, ſi in ſtipulationem deductæ non, ſunt Vlpianus docet, pecuniæ mutuæ vſuras citra ſtipulationis vinculum non deberi. Sic Africanus ICtus *in l. Titius Sempronio, de præſcript. verb.* inquit, pecuniæ creditæ vſuras, niſi in ſtipulationem deductas, non deberi. Et vſuræ in ſtipulationem deductæ, licet ſtipulatio

latio inſtrumento conſcripta non ſit,opti-
mo iure debentur,*l.1.h.tit. noſtro.* Sed ob-
ſtare videtur *l. frumenti, h. tit. n.* quæ eſt
optimi Imperatoris Alexandri,qui Vlpi-
anum parentem ſuum & amicum appel-
lat.*in l.4.C.de locato & conducto.& l.4.C. de*
*contrah.ſtipulat.* Reſcripſit autem Alexan-
der cuidam Tyranno in hæc verba: Fru- 39
menti vel hordei mutuo dati acceſsio, et-
iam ex nudo pacto præſtanda eſt.Ecce
Imperatorem reſcribentem, ex mutuo
etiam vſuras deberi ex nudo pacto. Ve-
rum igitur non videtur quod diximus,
in mutuo vſuras ex pacto non præſtari.
Ad hanc obiectionem ita reſpondendum
eſt: Pecunia mutuo data,vſuræ ex pacto
non debentur,ſed ex ſtipulatione tantùm.
At ſecus eſt in frumento,tritico, hordeo,
oleo,vino mutuo dato. Etenim frumenti,
tritici,hordei,olei,vini mutuo dati acceſ-
ſio,hoc eſt,vſura etiam ex nudo pacto de-
betur. Differentiæ ratio hæc eſt: Pecuniæ 40
publica ac perpetua æſtimatio *l.1. de con-*
*trah.empti.*& vna ac eadem poteſtas vbiq;
eſt.*l.ideo,de eo quod certo loco.* nec eius valor
ad cuiusuis placitum mutari poteſt. Mu-
tatur quidem quandoque pecunia, eiusuè

valor. *Bartol. in l. quod te, ſi certum petatur.* ſed hoc fit publicè & moribus ciuitatis, vt de nominum mutatione traditum eſt *in l. 7. de ſuppellect. legat.* Priuatus aliquis pecuniam & eius valorem ſiue æſtimationem ac poteſtatem mutare non poteſt. Quia igitur pecuniæ æſtimatio perpetua eſt, idcirco ICtis & Imperatoribus placuit, ne aliter pecuniæ creditæ vſuræ deberentur, quàm ſi in ſtipulationem eſſent deductæ. Frumenti contra, vel hordei, tritici, vini, ac olei & cæterarum rerum menſura conſtantium æſtimatio perpetua non eſt, ſed pretium harum rerum ſubinde mutatur, locis temporibusq; varietatem adferentibus. Sic enim Paulus inquit. Nonnullam pretii varietatem loca temporaque adferunt. Nec enim tantidem Romæ vt in Hiſpania oleum æſtimabitur, nec continuis ſterilitatibus tantidem, quanti ſecundis fructibus *in l. pretia rerum, §. fin. ad L. Falcidiam.* Et Caius ait: Scimus quàm varia ſint pretia rerum, per ſingulas ciuitates regioneſque, maximè vini, olei, frumenti, *in l. ideò in arbitrium, de eo quod certo loco. Sic Plinius lib. 33. c. vlt. inquit:* pretia rerum non ignoramus

mus alia aliis in locis eſſe, & omnibus pæ- nè annis mutari, prout nauigationes con- ſtiterint, aut vt quisq; mercatus ſit, aut vt aliquis præualens manceps annonam fla- gellet. Sic Iuſtinianus *in §. plus autem, In- ſtit. de action.* docet, vinum, oleum, fru- mentum, per ſingulas regiones, diuerſa habere pretia. Propter incertum itaque 41 pretiū frumenti, hordei, tritici, vini, olei, & ſimilium rerum, hoc receptum eſt, vt vſuræ debeantur ex pacto nudo. Ob hanc ipſam cauſam, frumentum, hordeum, triticum, vinum, oleū, & reliquæ res men- ſura conſtantes grauiores quoq; vſuras re- cipiunt, quàm pecunia credita. Ita enim ab Imperatore Philippo eſt reſcriptum *in l. oleo, h. tit. n.* Oleo vel quibuscunq; fru- ctibus mutuo datis, incerti pretii ratio additamenta vſurarum eiuſdem materiæ ſuaſit admitti. Nota quòd Imperator in- quit, incerti pretii rationem ſuadere, vt additamenta vſurarum admittantur. Per additamenta vſurarum Imperator gra- uiores vſuras intelligit, & grauiores vſuræ debentur, propter pretii incertitudinem. Ac dicere quis hic poſſet, etiam propter pretii incertitudinem, vſuras ex pacto nu-

do deberi non poſſe, cùm ex pacto actio
42 non naſcatur, vt ſup. oſtenſum eſt. Sed huic obiectioni reſpondendum eſt, pacta nuda eſſe duplicia, alia enim iuris gentium eſſe pacta, alia legitima. l. conuentionum, de pactis. Pacta nuda iurisgentium, actionem non pariunt, ſed exceptionem. *l. iuris gentium, §. igitur nuda, de pactis.* Pacta nuda legitima actionem producunt. *l. legitima, de pactis.* Et inter pacta legitima hæc quoq; pactio numeratur, vt frumenti vel hordei mutuo dati vſura præſtetur. Hæc enim pactio conſtitutione Alexandri Imperatoris adiuuatur, & propterea ex huiuſmodi pactione actio datur, per quam vſuræ petuntur, vt in titulo de pactis latius expoſui. Sed videtur rurſus obſtare l. etiam, de vſur. Ea lex Pauli eſt ex libro ſingulari regularum. Et tradit Paulus pro regula, quòd etiam ex nudo pacto
43 debentur ciuitatibus vſuræ creditarum ab eis pecuniarum. Igitur verum non eſt, quod ſuprà diximus, pecuniæ creditæ vſuras ex ſtipulatione deberi, non ex pacto. Sed ſingulare hoc eſſe in ciuitatibus reſpondendum eſt, ne ciuitates facilè damnum incurrant, & ciuitatis ſiue Reipub-
licæ

licæ vtilitati & ſecuritati proſpicien-dum eſt *l. ſi benè, de vſuris*. Ac hoc pactum legitimum quoque pactum eſt, quamuis non ſatis conſtet, qua lege confirmatum fuerit, vt in titulo quoque de pactis dixi.
Rurſus obſtare videtur, quod Iuſtinianus *in nouella 136.* de argentariorum contractibus conſtituit, præſtari debere vſuras ex pacto. Sed hoc Iuſtinianus, vt inſcriptio Nouellæ quoque monet, de argentariis conſtituit. Et ſicuti ciuitatibus ex pacto vſuræ debentur: ita argentariis ex Iuſtiniani conſtitutione, vſuræ etiam ex nudo pacto præſtandæ ſunt. Et hoc ita conſtitutũ eſt διὰ τὸ χρήσιμον τῶν συναλλαγμάτων, hoc eſt, propter vtilitatem contractuum ſiue argentariorum, vt Iuſtinianus loquitur *in Nouell. conſtit. 4.* Aut vt dicitur *in d. Nouella 136.* διὰ τὸ κοινὸν τῆς αὐτῶν λυσιτελείας ἣν παρέχονται τοῖς συναλλάγμασι, πολλοῖς ὁμιλοῦντες κινδύνοις, ἵνα τὰς ἑτέρων θεραπεύσωμεν χρείας, h. eſt, propter vtilitatem ipſorum argentariorum, quam in contractibus exhibent, multis ſe immiſcentes periculis, vt ingruentibus aliorũ neceſsitatibus medeantur. 44

Hoc amplius videtur obſtare *l. per retentionem,& l.pignoribus,h.tt.n.de vſur.* in quibus ab Imperatoribus eſt reſcriptum : vſuras nudo pacto promiſſas ſeruari & retineri poſſe. Igitur vſuræ nudo pacto promiſſæ debentur. Hoc argumentum rectè intellectum concedi poteſt. Etenim vſuræ nudo pacto promiſſæ naturaliter debentur. vt ſuprà diximus *ex l. 5. de ſolutio.*

45 Et huius naturalis obligationis primus effectus hic eſt,quòd vſuræ ex nudo pacto ſolutæ non condicuntur, neq; in ſortem computantur,*l.3.h tt.n.* Secundus effectus eſt,quòd vſuræ nudo pacto promiſſæ retineri & ſeruari poſſunt,per retentionem pignoris. atque ita loquuntur *d. l. per retentionem,& d l.pignoribus,h.tt n.* In *l. per retentionem*,ſacratiſsimi Imperatores Seuerus & Antoninus reſcripſerunt, per retentionem pignoris vſuras ſeruari poſſe: de quibus præſtandis conuenit, licet ſtipulatio interpoſita non ſit, meritò conſtitutum eſt. In *l. pignoribus*, à Philippo item Imperatore reſcriptum eſt, pignoribus quidem interuenientibus,vſuras,quæ ſine ſtipulatione peti non poterant, pacto retineri poſſe. Cæterùm notandum

eſt,

eſt,ita demum vſuras nudo pacto debitas per retentionem pignoris ſeruari poſſe, ſi in vſuras pignus acceptum fuerit. Eam 46 conditionem Diui Seuerus & Antoninus ſuo reſcripto nominatim inſeruerunt his verbis: cùm pignora conuentione pacti etiam vſuris obſtricta ſint, *in d.l.per retentionem,h.tt.n.* Ac dicitur pignus in vſuras acceptum, non modò quando nominatim conuenit, vt pignus etiam pro vſuris eſſet obſtrictum, verùm etiam quando pignus in ſortem datum eſt: tunc enim pignus tacitè quoque in vſuras acceptum videtur. Ita à Pomponio ICto traditum eſt *in l.ſi neceſſarias,§.vlt. de pignora. actio.* Cùm pignus, inquit, ex pactione venire, hoc eſt, vendi poteſt, non ſolùm ob ſortem non ſolutam venire poterit, ſed ob cætera quoque, veluti vſuras & quæ in id impenſa ſunt. Cùm dicit Pomponius, pignus ob vſuras venire poſſe, perſpicuè ſignificat, pignus ſimpliciter datum, non modò datum eſſe propter ſortem, ſed etiam propter vſuras, & idcirco pignus vendi poſſe non ſolùm ob ſortem non ſolutam, verùm etiam ob non ſolutas vſuras, quando conuenit vt liceret pignus vendere.

re. Et ita Conſtantinus Harmenopolus *libro 3. epitoma. tit. 5. rectè §.* illum intellexit. ibi namq; *dictũ §. finalem* referens hæc verba ſubiicit: τὸ γὰρ ἐνέχυρον τὸ ὑπὸ τὸ κεφάλαιον ὑποτεθὲν, σιοπηρῶς καὶ ἐπὶ τοῖς τόκοις ὑπόκειται, hoc eſt, pignus quod ſortis nomine obligatur, tacitè & pro vſuris obligatum cenſetur. Sed hoc ita procedit, niſi
47 inter contrahentes conuenerit, vt pignus in ſortem duntaxat obſtrictum eſſet. Hæc particula, Duntaxat, excludit vſuras, *l. 3. §. cum Titio, de adimen. legat.* & efficit, vt pignus in ſortem tantum teneatur. *l. ſolutum, §. ſi in ſortem, de pignor. actio.* ibi Vlpianus docet, quòd pignoratitia actio locum habet, ſoluta ſorte, in quam pignus duntaxat obſtrictum erat. Nota particulam, Duntaxat, quæ otioſa non eſt, ſed ea ICtus ſignificat, pignus ita demum in ſortem tantùm obligatum eſſe, & ideo ſorte ſoluta repeti poſſe, quando dictum fuit, vt in ſortem duntaxat obſtrictum eſſet. Et pignore in ſortem duntaxat obſtricto, vſuræ ex pacto debitæ, per retentionem pignoris ſeruari non poſſunt. Si hæc taxatiua particula defuerit, pignus non modò in ſortem, ſed etiam in vſuras obligatum

erit,

erit, & propterea quandiu ex vſuris aliquid debetur, pignoratitia ceſſabit. *d.l.ſolutum, §.ſi in ſortem, cum §.ſequenti, de pignorat.actio* Et propter hanc cauſam, quòd 48
pignus in ſortem acceptum, in vſuras quoque obligatur, receptum eſt, vt pecunia ſimpliciter ſoluta, eo in continenti, vel etiam ante & paulò poſt non dicto, vtrùm in ſortem, an verò in vſuras ſolueretur, creditor pecuniã acceptam in vſuras pacto debitas, in quas & pignus accepit, imputare poteſt Sic enim Imperator reſcripſit: Si vſuras præſtari pignore dato conuenerat, & in continenti numeratione facta, poſtea vel antè, propter quod debitum ſolutionem feceras, non deſignaſti, habuit creditor in vſuras tibi accepto ferendæ, ſolutæ quantitatis facultatem, *l. ſi vſuras, h.tit.noſtro*. Nec aduerſatur quod Vlpianus *in d.l.5.§.penult. de ſolutionibus*. tradidit, quòd pecunia proprio titulo non numerata, hoc eſt, in vſuras non ſoluta, pro ſoluta ex arbitrio percipientis non habetur, hoc eſt, ex arbitrio percipientis vel in ſortem, vel in vſuras non imputatur. Nam Vlpianus loquitur de vſuris, quarum nec actio nec retentio eſt, vt: v-

ſurarum, quæ nudo pacto promiſſæ ſunt, actio non eſt: earum quoque non eſt retentio, ſi pignus in vſuras acceptum non eſt. Ideoque pecunia à debitore ſoluta, ex arbitrio creditoris in ſortem vel in vſuras accepto ferri non poteſt, ſed tantùm in ſortem accepto ferenda eſt *d. l. 5. §. penult. de ſolutio.* At aliud dicimus in vſuris, quarum vel actio eſt, vel ſi non eſt actio, ſaltem eſt retentio. In has vſuras pecunia ſimpliciter ſoluta, ſi creditor ita volet, imputari poteſt *d. l. ſi in vſuras, h. tit. n.* Nec id iniquum videri debet, cum creditor huiuſmodi vſuras vel petere, vel per retentionem pignoris ſeruare poſsit. Et quod diximus de vſuris nudo pacto promiſſis, ſeruari illas poſſe per retentionem pignoris in vſuras obligati: idem quoque
49 dicendum eſt de pœna nudo pacto promiſſa. Pœna nudo pacto promiſſa peti non poteſt, quia ex pacto non datur actio, vt ſuprà expoſitum eſt. Poteſt tamen pœna ſeruari per retentionem pignoris, ſi propter pœnam pignus ſit obligatum. Sic enim á Martiano iuriſconſulto traditum eſt *in l grege, §. vlt. de pignorib.* Propter vſuras, inquit Martianus, ſi obligata ſit

hy-

hypotheca, vſuræ ſolui debent. Idem & in pœna dicemus. Sic *in d. l. pignoribus, hoc tit. noſtro*, ab Imperatore eſt reſcriptum, præſtari debere pœnam conuentam, ſiue nudo pacto promiſſam, ſi propter pœnam pignora fuerunt obligata, & pœna præſtita, nihil amplius peti poteſt, nec pignora poſſunt retineri, ſed creditor ad pignoris ſolutionem poteſt diſciplina iuris vrgeri. *d. l. pignoribus, hoc tit. noſtro.* Idem ergo hac in parte eſt inter vſuram & pœnam. Dico hac in parte, propterea quòd aliàs pœna ab vſura multum differt. Etenim pœna ob moram 50
infertur: vſura etiam propter lucrum, vt *cap. 2.* ſuprà latius expoſitum eſt. Deinde pœna vel ſæpius infertur, ſingulis nimirum menſibus, vt *in l. lecta, de rebus cred. l. cùm ſtipulati ſumus, de verb. obligat.* & hæc pœna vſura dicitur *d. l. lecta.* Vel infertur pœna ſemel duntaxat ob moram, & hæc pœna vſura non eſt. *Iacobus Cuiatius in d. l. cum ſtipulati ſumus, de verb. obligat.* Vſura ſingulis menſibus infertur, vt c. proximè ſequenti latius explicabitur. Denique pœnæ ſtipulatio certa eſt, ex eaque datur certi condictio. l. ſi pœ-

nam

nam ſtipulatus fuero, de verbo. obligat. Stipulatio vſurarum eſt incerta, ex eaque competit condictio incerti. *l. vbi autem, §. penult. de verbo. obligat.* Ex his omnibus intelligitur, in contractibus ſiue negotiis ſtrictis, vſuras regulariter ex ſtipulatione deberi, non ex pacto, nec etiam ex mora. At in quæſtionem vocatur, vtrum ſaltem poſt litem conteſtatam, in contractibus ſtrictis, vſuræ ex mora debeantur. Et quamuis hoc compluribus magni nominis ICtis & veteribus & recentioribus placuerit, *Iaſon in l. cum fundus, de reb. cred. Romulus in tractatu de mora, in ſecundo moræ effectu, num. 131.* tamen contraria ſententia
51 de iure verior eſſe videtur. Nuſquã enim in libris noſtris à Iuriſconſultis traditum, aut ab Imperatoribus eſt reſcriptũ, quòd in contractibus ſtrictis, poſt litis conteſtationem vſuræ ex mora debeantur. Non temerè igitur hoc affirmandum eſt, cùm ſine lege nihil debeamus dicere. *Nouell. 18. §. conſideremus.* & quod expreſſè ſancitum non eſt, ſuperſtitioſis inuentionibus non eſt præſumendum. *Crauetta con. 6. num. 87. & con. 25. num. 9. & conſ. 57. num. 3.* & qui ſine lege loquuntur, nimis altè volant ſine pennis,

pennís, & ideò non mirum, ſi veluti Icarus cadant, vt Hieronymus Cagnolus loquitur. *in l. frater à fatre, num. 260. de condict. indeb.* Non obſtat, quòd à ICto Paulo *libro 57. ad edictum*, traditum eſt, lite conteſtata vſuras currere. *l. lite conteſtata, de vſuris.* Nequaquam enim Paulus hoc 52
vult, quòd lite conteſtata vſuræ incipiant deberi, quæ ante litis conteſtationem non debebantur. Si hæc eſſet ſententia Pauli, dici vtrunque poſſet, etiam in contractibus ſtrictis, poſt litis conteſtationem, atq; ita poſt moram, vſuras deberi. Iam verò Pauli ICti ſententia ea non eſt, ſed Paulus hoc vult dicere, quòd vſuræ, quæ debebantur ante litis conteſtationem, lite conteſtata non deſinunt deberi, ſed currunt, procurrunt, non ceſſant. Sententia à iudice dicta intra tempora iudicati, hoc eſt, intra quatuor menſes, qui ex Iuſtiniani conſtitutione dantur iudicatis ad ſoluendum, vt infra latius dicetur, vſuræ non currunt, ſed interquieſcunt, *l. 1. §. penult. de vſuris. l. fin. §. pen. C. de vſuris rei iudicatæ.* At lite conteſtata currunt, hoc eſt, non ceſſant, non interquieſcunt. Verbi gratia: Emptor, qui poſſeſsionem rei
ven-

venditæ nactus, pretium non ſoluit, vſuras pretii debet. *l. Iulianus, §. ex vendito, de action. empti. l. 5. C. eodem. l. 2. hoc tit. noſtro.* Hæ vſuræ, lite cum emptore conteſtata, currunt, hoc eſt, procurrunt, non ceſſant. Et hæc eſt ſententia *l. lite conteſtata, de v-*
53 *ſuris.* Rurſus non obſtat, quòd in actione ex ſtipulatu, poſt acceptum iudicium, hoc eſt, poſt litem conteſtatam fructus debentur, qui tamen etiam mora facta ante litem conteſtatam non debebantur. *l. videamus, §. ſi actionem habeam, de vſuris.* Nam quod de fructibus dicitur, ad vſuras trahendum non eſt, cùm vſura pecuniæ, quam percipimus, in fructu non ſit. *l. vſura, de verbo. ſign.* Et quamuis vſura vicem fructuum obtinere dicitur, *in l. vſuræ, de vſuris:* tamen id tantum in bonæ fidei iudiciis receptum eſt, itemque in legatis & fideicommiſſis, quæ bonæ fidei iudiciis aſsimilantur: non in contracti-
54 bus ſtricti iuris. *d. l. vſuræ, de vſuris.* Non obſtat denique quòd poſt litem conteſtatam cauſa præſtanda eſt. *l. 2. de vſuris.* Etenim vſura non eſt cauſa, ſicuti ex definitione
55 cauſæ apparet. Cauſa eſt eius rei quæ petitur qualitas & vtilitas omnis, quæ circa

ta eam eſt *Iacobus Cuiatius in paratitlis ad tit. de vſuris.* Qualitas ſignificat quiddam quod in re ipſa eſt, vt prædiorum vel hominum bonitatem, ſalubritatem, immunitatem, libertatem. Vtilitas, quæ circa rem eſt, ſignificat vtilitatem, quæ manat à rebus ipſis, vt ſupra capite primo circa definitionem vſuræ latius expoſitum eſt. Vſura autem non eſt qualitas rei, quia non ineſt rei: non etiam eſt vtilitas circa rem, quia non manat à re ipſa, ſed ex alia cauſa eſt. l. vſura de verb. ſignif. hoc eſt, vel ex obligatione venit, vel officio iudicis. Inde ſequitur vſuram cauſam non eſſe. Et hæc, de tribus cauſis, ex quibus vſuræ debentur, de pacto nimirum, mora & de ſtipulatione breuiter dicta ſufficiant. Et quamuis ſuperioribus cauſis, 56
longi temporis præſtatio adijcienda eſſe videatur, propterea quòd Antoninius Imperator ideò ſoluendas vſuras iudicauit, quòd eas ipſe dominus vel pater longo tempore præſtitiſſet. *l. cùm de in rem verſo, de vſuris.* tamen longi temporis præſtatio non eſt cauſa vſurarum, quia tempus non eſt modus inducendæ obligationis, ſicuti nec finiendæ. *l. obligationem*

*§. 1.*

57 *§.1.de obligatio.& action.* Inducit tamen longi temporis præſtatio præſumptionem quandam obligationis,& qui longo tempore vſuras ſoluit,præſumitur eas ſoluiſſe ex obligatione aliqua præcedente,cùm nemo,quod non debet, ſoluere & ſuum iactare præſumatur.*l. cum de indebito, de*
58 *probatio.* Et huic præſumptioni ſtatur,donec contrarium probetur. *d. l. cum de in rem verſo,de vſuris,* & contrario probato, diuturna præſtatio, ad præſtandum in poſterum indebitum,ſoluentem non obligat.*l. ſi certis annis, C. de pactis.* ibi nudo pacto promiſſum certis annis fuit ſolutum, & ab Imperatoribus Diocletiano & Maximiano eſt reſcriptum, eum qui certis annis,quod nudo pacto conuenerat,ſoluit,ad præſtandum in poſterum indebitum ſolutum non obligari. Nota quòd Imperatores inquiunt, quod nudo pacto conuenerat. Iis verbis ſignificatur, certum fuiſſe Leontium, qui certis annis ſoluit,ſoluiſſe ex nudo pacto,& propterea præſtatio longi temporis ibi non facit, vt Leontius in poſterum quoque ſoluere teneatur,quod certis annis præſtitit. Quod ſi *in d. l.ſi certis annis.C.de pactis,* non con-

conſtitiſſet, Leontium ex nudo pacto ſoluiſſe, procul dubio Diocletianus & Maximianus idẽ iudicaſſent, quod Imperator Antoninus iudicauit, ideo Leontiũ ſoluere pecuniam debere quòd ipſe longo tempore pecuniã præſtitiſſet. Sic quod dicitur *in l. creditor, h. tit. n.* vſuras aliquando ex conſenſu præſtitas, obligationem non conſtituere, hoc eſt, in poſterum non deberi, accipiendum eſt de vſuris, quas conſtitit ex conſenſu, hoc eſt, ex nudo pacto, præſtitas eſſe. Hæ vſuræ in poſterum non debentur. Cæterùm ſi dubitetur, vtrum vſuræ, quæ aliquando præſtitæ ſunt, ex pacto, an verò ex ſtipulatione præſtitæ fuerint, ideò eas præſtari debere dicemus, quòd debitor aliquando eas præſtiterit, quia diuturna præſtatio in dubio obligationis præſumptionem inducit. *d. l. cùm de in rem verſo, de vſuris.* quod etiam probat *l. ltiibus, C. de agricolis & cenſi. lib. 11.* vbi coloni, qui diu ſoluerunt penſiones ſiue reditus, in poſterum quoque penſiones ſiue reditus ſoluere tenentur, quamuis communiter interpretibus placeat, non aliter reditum longo tempore præſtitum in poſterum præſtari debere, quàm ſi cauſa

præſtationis appareat, vel ſpecificè probata fuerit. *Molinæus in tracta de. vſur. in 20.quæſt.num.205.* Et tantùm de tertio capite, de cauſis ex quibus vſuræ debentur.

# CAPVT QVARTVM
## de legitimo modo vſurarum.

1. *Vſurarum modus quidam licitus eſt, quem excedere non debemus.*
2. *Alius olim fuit vſurarum modus, alius hodie eſt.*
3. *Centeſima olim fuit legitima vſura.*
4. *Centeſima vſura eſt, quæ reddit quotannis duodecim ſolidos in centum.*
5. *Centeſima ſecundum aliquos inde dicitur, quòd centeſimo menſe ſortem æquat.*
6. *Sed verius eſt, centeſimam ex eo dici, quod ſortis centeſima pars eſſet menſtrua vſura.*
7. *Veteres in ſingulos menſes vſuras ſtipulabantur.*
8. *Apud Græcos quoq; vſuræ fuerunt menſtruæ.*
9. *Seneca centeſimam ſanguinolentam appellat*

pellat, Iuſtinianus duram & grauiſſimam molem.

10. Fœneratores centeſima rarò contenti fuerunt.

11. Centeſima vſura eſt, quæ reddit quotannis tres ſiliquas in ſingulos ſolidos.

12. Centeſima vſura eſt, quæ in ſingulas libras reddit duodecim ſolidos.

13. Redditur ratio, quare vſura centeſima dicatur, cùm non in centum, ſed in minorem quantitatem quotannis duodecim ſoluuntur.

14. Centeſima legitima fuit vſura pecuniæ creditæ.

15. In bonæ fidei contractibus centeſima vſitata non fuit, ſed vſuræ conſtituebantur arbitrio iudicis ſecundum morem regionis.

16. Vſura centeſima non pertinuit ad fructus creditos.

17. Iuſtinianus centeſimam ſuſtulit, & in locum eius ſubſtituit vſuras trientes, ſemiſſes & beſſes.

18. Semiſſes vſuras Plinius ciuiles & modicas appellat.

19. Vſurarum modus à Iuſtiniano præſcriptus, obſeruatur quoque in contractibus bonæ fidei.

20. Certis caſibus etiam hodie centeſima debetur.
21. In traiectitijs contractibus debetur centeſima.
22. In ſpecierum fœnori dationibus centeſima debetur.
23. Centeſima debetur, quando quis pecuniam pupilli in ſuos vſus conuertit.
24. Si modò clam id fiat, ſecus eſt ſi fiat palam.
25. Centeſimam præſtat condemnatus poſt tempora iudicati.
26. Condemnatis olim triginta dies, poſtea duo menſes ad ſoluendum dabantur, hodiè dantur quatuor menſes.
27. Tempora iudicatis ad ſoluendum dantur humanitatis gratia.
28. Si illuſtris perſona per argentarium beſſes vſuras ſtipuletur, trientes tantùm debentur.
29. Qui certis annis minores vſuras accepit, quàm ſtipulatus erat, maiores petere non poteſt.
30. Qui minores vſuras promiſit, & aliquandiu maiores præſtitit, vſuras maiores ſolutas non poteſt condicere.
31. Sed hoc tunc procedit, quando debitor ſciens

ens maiores vſuras ſoluit:ſecus eſt ſi per errorem vel ignorantiam ſoluiſſet.

32. Annuo reditu minori pro maiori certis annis ſoluto,non propterea maior annuus reditus deberi deſinit.

33. Vſuris certus modus eſt præſcriptus, & annui reditus certum modū non habet.

34. Annuis reditibus præſcriptio triginta vel quadraginta annorum non obſtat.

35. In annuis reditibus ſinguli anni propriam habent præſcriptionem.

36. Ratio eſt,quia ſingulis annis naſcitur noua actio.

37. Vitebergenſes & Lipſenſes in annuis reditib.præſcriptionem admittunt.

38. Vſurarum annuæ præſtationes triginta vel quadraginta annis præſcribuntur.

39. Ratio eſt,quia vſuræ ſunt acceſsio alterius obligationis.

40. Annuis reditibus intra triginta annos non ſolutis, præteriti temporis reditus, quorum reſpectu triginta anni lapſi non ſunt, peti poſſunt.

41. Sed Vitebergenſes ac Lipſenſes contrarium reſpondent.

42. Vſuris intra triginta annos non ſolutis, præteriti temporis vſuræ peti non poſſunt.

 43. Red-

43. *Redditur ratio differentia inter annuos reditus & vſuras annuas.*

44. *Hypotheca eſt acceßio perſonalis actionis.*

45. *Imò non eſt acceßio, ſed actio principalis.*

46. *Enumerantur ſpecies, quibus vincula pignoris durant, perſonali actione ſublata.*

47. *Perſonalis actio quandoq; omni iure tollitur, manente tamen hypothecaria actione.*

1 QVoniam vſurarum modus quidam licitus ſiue legitimus eſt *l. ſolutum, §. ſiue autem, de pignorat. actio. l. idemq; §. ſi procurator.* ibi, quæ legitimo modo, mandati. *l. 1. in prin. & l. pecunia, & l. placuit, de vſuris, l. ſi non ſortem, in prin. de condict. indeb. l. cùm debitor, in quibus cauſis, pig. tacitè contrah. l. 2. §. vlt.* ibi, vltra legitimum modum vſurarum, de eo quod certo loco. ſup. quem vſuræ exactæ, illicitæ eſſe dicuntur. *d. l. ſolutum, §. ſiue autem, de pignor. actio. d. l. placuit & l. vſuras, de vſur.* ob id ſub hoc capite de modo vſurarum licito dicemus. Per modum autem vſurarum, quantitatẽ vſurarum intelligimus. *l. eos, §. ſuper vſurarũ, C. h. tit. noſtro. l. ſi pro mutua, 2 in fin. C. ſi cert. peta.* Et alia olim fuit vſurarum

rum quantitas, alia hodie eſt *d. l. eos §. ſuper vſurarum*. Olim legitimus modus ſiue legitima quantitas vſurarum fuit vſura centeſima. Hoc intelligitur *ex d. l. ſi pro mutua, C. ſi certum petat.* ibi namq; Imperatores reſcripſerunt, quòd vltra vſuram centeſimam, vſura promiſſa, legitima tantùm ſumma rectè petatur, hoc eſt, centeſima, non id quod ſupra centeſimam promiſſũ eſt. Ecce hic Imperatores primũ nominant vſuram centeſimam, eamq; appellant legitimam ſummam. Centeſima igitur vſura olim legitima vſura fuit. Sic Papinianus *in l. 4. de nautico fœnore* docet, poſt diem periculo præſtitum fœnus non deberi ſupra legitimam vſuram, & poſtea Papinianus centeſimæ mentionem facit, ex quo apparet, legitimam vſuram centeſimã fuiſſe Paulus quoq; *in 2. ſententiarũ, tit. de vſuris*, ſcribit, vſuras ſupra centeſimam ſolutas in ſortem imputari. Ideò ſupra centeſimam vſuræ ſolutæ imputantur in ſortem, quia centeſima vſura fuit legitima vſura, aliàs Paulus malè diceret, quòd ſupra centeſimã vſurarũ nomine ſolutum eſt, in ſortẽ computari debere. Hoc amplius *in l. lecta, de reb. cred.* Publius Mæ-

uius pœnæ ſiue vſuræ nomine ſtipulatus fuit, in ſingulos triginta dies, inq; denarios centenos, denarios ſingulos. Hæc vſura, eſt centeſima vſura. Inde apparet, vſuram centeſimam legitimam olim vſuram fuiſſe, quod euidenter quoque *ex l. 1. & 2. C. Theodoſ. de vſuris* conuincitur. ibi *in l. 1.* dicitur, quòd pro pecunia vltra centeſimam creditor vetatur accipere: & *in l. 2.* Imperator reſcripſit, centeſimam iure permiſſam eſſe. Et denique Anianus interpres Codicis Theodoſiani *in d. l. 2. & in l. fina. C. Theodoſ. de vſur.* centeſimam legitimam vſuram appellat. Centeſima igitur vſura, olim legitima vſura fuit. Senatores tamen medietatem duntaxat centeſimæ vſuræ, pecunia credita, ſtipulari poterant. *d. l. fina. C. Theodo. de vſur.* Centeſima autem vſura eſt, non quæ in anno ſortem æquat, vt Accurſio & aliis viſum eſt, & nouiſsimè probauit Catellianus Cotta in memorabilibus, in verbis, vſuræ trientes: ſed quæ reddit quotannis duodecim ſolidos in centum ſolidos. Ita Theophilus ſentit *in §. plus autem, Inſtit. de action.* & rectè. Ibi Theophilus tradit, quartam partem centeſimæ vſuræ eſſe, cum annuatim tres

tres aurei in centum aureos ſoluuntur. Inde ſequitur, centeſimam eſſe, cùm annuatim in centum aureos, duodecim aurei præſtantur. Et ſic Conſtantinus Harmenopulus *libro 3. epitom. titulo 7. de vſuris*, centeſimam definit. Centeſima, inquit, vſura eſt, cum ob centum nummos, toto anno duodecim præſtantur. De ratione nominis, & vnde hæc vſura centeſima dicta fuerit, inter viros doctos non ſatis conuenit. Alii enim exiſtimant, centeſimam inde dici, quòd centeſimo menſe ſortem exæquat. Si enim vnoquoque anno pro centum duodecim fœnoris cauſa exſoluantur, centum menſibus, hoc eſt, octo annis & quatuor menſibus vſura ad ſortis magnitudinem excreſcit. Inde igitur nonnulli putant, vſuram centeſimam appellatam eſſe atq; ita voluit Budæus in primo de aſſe, Alciatus *lib. 2. Diſpunctionum cap. 1. & libro 2. parerg. c. 23. Iohannes Mercerus apud Harmenopulum, Iohannes Delareberteria in tractatu de mora, Dominus Philippus in Ethicis & alii.* Conſtantinus verò Harmenopulus *dicto libro 3. epitoma. titulo* 7. cenſuit, centeſimam ex eo nomen ſortitam eſſe, quòd ſortis centeſima pars eſ-

ſet menſtrua vſura. Sic enim inquit: Cùm pro centum nummis, vnus quoquo menſe nummus datur, is cum vniuerſis centum collatis, omninò centeſimam habet rationem, & propterea huiuſmodi vſura centeſima dicta eſt. Et hanc ſententiam probauit *Antonius Guibertus libro primo quæſtionum iuris memorabilium c. 1.* eaque de iure verior eſt, ſicuti apparet *ex l. lecta, de reb. credit.* in qua Publius Mœuius in triginta dies, inque denarios centenos, denarios ſingulos ſibi dari ſtipulatus fuit. His verbis centeſima vſura, vt antè monui, eleganter deſcribitur, & ſimul indicatur ratio, vnde centeſima fuerit appellata. Centeſima vſura eſt, cùm in triginta dies, inque denarios centenos denarii ſinguli dantur. Per triginta dies menſis ſignificatur, & menſem accipimus pro triginta diebus, & contrà triginta dies pro menſe, *l. vlt. C. de iure deliberan. l. vbi lex, de reg. iur.* In anno autem menſes duodecim ſunt. Ex eo cuiuis facilè conſtat, cũ in menſem, inq; centenos denarios ſinguli denarii ſoluuntur, atque ita duodecim denarii quotannis pro centũ denariis præſtantur, vſuram illam centeſimam eſſe, & inde eſſe

dictam,

dictã, quòd ſortis centeſima pars ſit menſtrua vſura. Veteres enim in ſingulos menſes, vſuras ſtipulabantur, *d. l. lecta, de reb. cred.* Et inde menſes à Baſilio τόκιων πατέρες dicuntur, & fœneratores μηνιαῖοι ἀπαιτηταὶ, h. e. menſtrui exactores. Ideo verò in ſingulos menſes ſtipulabantur vſuras, vt hac ratione vſuræ duplum excederent. Nam per partes ſolutæ, ſupra duplum deberi poterant *l. 10. C. de vſur. Cuiacius in l. eius qui in prouincia, de reb. creditis*, Stipulabantur autem vſuras in diem Calendarum, & idcirco fœneratoris libro Calendarii nomen inditum eſt, *l. eum qui in prouincia, ſi certum petat. l. vlt. de peculio, l. Lucius Titius, de legat. 3. Ouidius lib. 2. de remedio amoris:*

*Qui puteal Ianumq́; timent, celereſq; Calendas*
*Torqueat hunc æris mutua ſumma ſui.*

Vocat Ouidius Calendas celeres, quòd voto & deſiderio debitorum celerius redeant, & vſurarum incrementum adferant. Sic Horatius *lib. 1. Sermo. Satyr. 3.* Calendas vocat triſtes.

*Niſi cùm triſtes miſero venêre Calendæ.*

Hinc Plutarchus in libro, quod fœnerari non liceat, & poſt eum Ambroſius in To-

biam,

biam, Calendas alioquin ſacras, infauſtas factas eſſe ſcribit per fœneratores. Ad diem tamen Calendarum vſuræ non ſoluebantur, ſed dabatur plerunq; dilatio vſq; ad Idus ſequentes, & inde in libris noſtris legimus, Idibus vſuras ſolui. *l. ſi ex pluribus, §. vlt. de ſolutio.* Horatius *in libro epodon, ode 2.* ad finem.

*Omnem redegit Idibus pecuniam.*
*Quærit Calendis ponere.*

Sic apud Græcos vſuræ menſtruæ fuerunt, quòd apertè apud Ariſtophanem creditor ille ſignificat, qui interrogatus quid eſſet τόκος reſpondit τί δ' ἄλλο γ' ἢ κατὰ μῆνα καὶ κατ' ἡμέραν πλέον πλέον τ' ἀργύριον αἰεὶ γίνεται, ὑπορρέοντος τοῦ χρόνου, hoc eſt, quid aliud eſt vſura quam argẽtum, quod ſecundum menſes & dies pluris fit, procedente ſiue ſerpente tempore. Idem quoq; indicat Ariſtophanes in Nubibus, vbi inducit Strepſiadem ſenio confectum, qui cum ære alieno deuinctus ac pænè obrutus eſſet, decreuerat adire incantatricem mulierem, quæ cœlo lunã deduceret, vt ſi amplius non exoriretur, creditores menſtruum fœnus non exigerent.

Etſi

Etſi autem vſura centeſima grauis eſt,vn- 9
de Seneca *lib.7.de beneſi. c. 10.* centeſimam
ſanguinolentam appellat, & Iuſtinianus
Imperator centeſimam duram & grauiſ-
ſimam molem vocat,*in l.eos,h.tt.noſtro*: ta-
men fœneratorum auaritia rarò centeſi-
ma contenta fuit.Et fœneratores,tempo- 10
ris ſucceſſu, plus quàm duodecim in cen-
tum acceperunt : imò in minorem quan-
titatem, duodecim quotannis accipere
non erubuerunt, & nihilominus huiuſ-
modi vſura centeſima quoque dicta eſt.
Etenim Anianus interpres Codicis The- 11
odoſiani *in l. 2. C. Theodoſ. de vſur.* centeſi-
mam definit, quæ reddit quotannis tres
ſiliquas in ſingulos ſolidos, in centum ſo-
lidos trecentas ſiliquas. Siliquas, vt ſup.
quoque monui Iuſtinianus *in Nouella 130.*
appellat κεράτια, & eſt ſiliqua viceſima
quarta pars ſolidi: Viginti igitur quatuor
ſiliquæ vnum faciunt ſolidum & ſecun-
dum hanc computationem centum ſili-
quæ conſtituent quatuor ſolidos, & qua-
tuor ſiliquas, & trecentæ ſiliquæ duode-
cim ſolidos & duodecim ſiliquas, atque
ita centeſima vſura erit, quæ reddit quo-
tannis in centenos ſolidos,duodecim ſoli-
dos

dos & duodecim ſiliquas. Hanc definitionem centeſimæ vſuræ Iuſtinianus Imperator *in Nouella 32.* ne quis mutuum dans agricolæ, terram eius teneat, probare videtur. In ea Nouella Iuſtinianus conſtituit vt agricolæ pro pecunia, quam mutuo acceperunt, in ſingulos ſolidos, ſingulas annuas ſiliquas ſoluant. Pro centum ergo ſolidis, vſurarum nomine ſoluunt in annum centum ſiliquas, hoc eſt, quatuor ſolidos & quatuor ſiliquas, & hæc eſt triens vſura. Et ſecundum hanc computationem centeſima erit dicenda, quando annuatim pro centum ſolidis ſoluuntur duodecim ſolidi & duodecim ſiliquæ Hanc definitionem centeſimæ vſuræ probauit quoque Leo Imperator *in Nouella conſtituti. 83.* in qua trientes centeſimæ permittit, & trientes centeſimæ vſuræ definit eſſe, quæ quotannis in ſingulos ſolidos, ſingulas fœneratoribus ſiliquas pariunt. Poſterior igitur hæc definitio vſuræ centeſimæ, grauior eſt priori, & cum priore pugnat. Illa in centum ſolidos tantùm duodecim ſolidos conſtituit in annum: hæc conſtituit duodecim ſolidos in centenos, & hoc amplius duodecim ſiliquas. Illa in trientem

cen-

centeſimæ tantùm quatuor ſolidos conſtituit: hæc in trientem centeſimæ conſtituit quatuor ſolidos & quatuor ſiliquas. Poſt tempora Aniani recepta fuit etiam alia vſura centeſima. Nam Harmenop. *d. lib. 3. epito. tit. 7.* centeſimam vſuram dicit eſſe, quæ in ſingulas libras, quotannis reddit duodecim ſolidos. Vna libra habet ſeptuaginta duos ſolidos *l. quotieſcunq; C. de ſuſcep̄tor. lib. 10.* atq; ita centeſima vſura eſt, quæ reddit in ſeptuaginta duos ſolidos quotānis duodecim ſolidos. Ea vſura centeſima omnium eſt grauiſsima, nec immeritò quæritur, vnde cum hæc vſura, tum prior illa, centeſima dicta fuerit. Vſura illa, cum in centum ſolidos, quotannis duodecim ſolidi & duodecim ſiliquæ præſtantur, neq; centeſimo menſe æquat ſortem, neque etiam ſortis centeſima pars eſt menſtrua vſura, vnde videbatur dicendum, vſuram quoq; illam centeſimam appellari non poſſe, quod multò magis de hac poſteriori vſura, cum in ſeptuaginta duos ſolidos annuatim duodecim ſolidi ſoluuntur, dicendum videtur, cum nomina rebus congruere debeant. *§. eſt & aliud, Inſtitut. de donation. Matth. de Afflictis in conſtitutio. Neapo-* 12

13 *Neapolita. Rubr. 1. de hæreti. nu. 6.* Cæterum priorem illam vſuram, cum in centum ſolidos, ſingulis annis duodecim ſolidi & duodecim ſiliquæ ſoluuntur rotundandi numeri cauſa, centeſimam eſſe appellatam, non malè dicere poſſumus, argumento illorum, qui olim de cauſis inofficioſi teſtamenti cognoſcebant, qui rotundandi numeri cauſa, Centumuiri dicebantur, cùm tamen non centum duntaxat, ſed centum & quinque eſſent viri, authore Sexto Feſto Pompeio *lib. 3. antiquita. Romana.* Rationem appellationis poſterioris vſuræ ex Conſtantino Harmenopulo, *dicto lib. 3. epitomar. tit. 7.* petere poſſumus, ibi Conſtantinus Harmenopulus rationem aperit, ſed verbis admodum obſcuris. Ratio hæc eſt. Aſſem appellamus quodcunque conſtat duodecim partibus. Sic veteres centiſimam acceperunt pro aſſe vſurarũ, hoc eſt, omnem vſuram, quæ conſtabat duodecim partibus, appellabant centeſimam, licet non redderetur in centenos denarios, ſed in
14 minorem quantitatem. Porrò illud nunc monendum eſt, centeſimam legitimam fuiſſe vſuram pecuniæ creditæ ſiue mutuo

datæ,

datæ, quemadmodum apertè Conſtantinus Imperator ſignificat *in l.1.C.Theodoſ.de vſur.* ibi enim ita Imperator inquit: pro pecunia, vltra ſingulas centeſimas, creditor vetatur accipere. Et ſic *lex 8. C. ſi certum petatur & l. 4. de nautico fœnore.* de pecunia credita nominatim loquuntur. In 15
bonæ fidei contractibus centeſima non videtur vſitata fuiſſe, ſed in contractibus bonæ fidei, mora facta, vſuræ conſtituebantur arbitrio iudicis, ſecundum morem cuiuſq; regionis. Intelligitur hoc *ex l. 1. in prin. de vſuris.* vbi Papinianus tradidit, cùm iudicio bonæ fidei diſceptatur, arbitrio iudicis vſurarum modum, ex more regionis vbi contractum eſt, conſtitui. Nota quòd Papinianus ait, arbitrio iudicis vſurarum modum in bonæ fidei iudicio ex more regionis conſtitui. Sic Vlpianus Iureconſultus *in l. & in contraria, de vſuris* docet, in bonæ fidei iudiciis conſtitutum eſſe, vt vſuræ præſtentur, quæ in regione frequentantur. Idem Vlpianus *in l. idemque §. ſi procurator, mandati,* inquit, procuratorem, qui non exercuit pecuniam, ſed ad ſuos vſus conuertit, in vſuras conueniri, quæ legitimo modo in regionibus fre-

16 quentatur. Rurſus illud quoque monendum eſt, vſuram centeſimam non pertinuiſſe ad fructus creditos, fructibus enim creditis, vt vino, oléo, frumento, hordeo, tritico, non ſolùm licitum fuit centeſimam ſtipulari, verùm etiam vſuras grauiores. Sic enim Philippus Imperator reſcripſit: Oleo quidem vel quibuscunque fructibus mutuo datis, incerti pretii ratio additamenta vſurarum eiuſdem materiæ ſuaſit admitti *l. oleo, h. tit. n.* Per additamenta vſurarum Imperator ſignificat vſuras grauiores centeſima: atq; ita Græci interpretantur in Synopſi baſilicon *libro 23. tit. 3. de vſuris.* ἐπὶ καρπῶν δανειζομένων, ἔξεστι καὶ πλείονα τόκον ἐπερωτᾶν διὰ τὸ ἄδηλον τῶν καρπῶν & rectè, quemadmodum intelligitur ex reſcripto Conſtantini *in l. 1. C. Theodoſ. de vſur.* Reſcripti verba ibi ita ſe habent: Quicunq; fruges humidas vel arentes indigentibus mutuas dederint, vſuræ nomine tertiam partem conſequantur, id eſt, vt ſi ſumma crediti in duobus modiis fuerit, tertium modium amplius conſequantur. Quòd ſi conuentus creditor propter commodum vſurarũ debitum recuperare noluerit, non ſolùm

vſuris,

vſuris ſed etiam debiti quantitate priuandus eſt, quæ lex ad ſolas pertinet fruges. Et ibi Anianus Conſtantini reſcriptum in hæc verba interpretatur: Quicunq; fruges humidas, id eſt, vinum & oleum, vel quodcunq; annonæ genus, alteri commodauerit, non amplius ab eo propter vſuram, quàm tertiam partem accipiat, id eſt, vt ſupra duos modios qui accepit, tertium reddat. Et quæ hactenus de modo vſurarum diximus, vſq; ad tempora Iuſtiniani Imperatoris obtinuerunt. Iuſtinianꝰ poſt- 17
ea ſuper vſurarum quantitate generalem ſanctionem fecit, & ſublata centeſima pro qualitate & diuerſitate perſonarũ in locum centeſimæ vſuras beſſes, ſemiſſes vel trientes ſubſtituit *in l. eos, C. de vſuris.* Ex illa enim conſtitutione viri illuſtres, & qui eos præcedunt, tertiam partem centeſimæ vſuræ accipiunt: qui ergaſteriis præſunt, hoc eſt, argentarii, itemque negotiatores beſſem centeſimæ: reliqui omnes dimidíam centeſimæ. Per tertiam partem centeſimæ, vſuras trientes Iuſtinianus Imperator intelligit. Et dicuntur trientes vſuræ, quando in centum denarios, quotannis quatuor denarii ſoluuntur. Hæc vſura eſt tertia pars aſsis ſiue cen-

teſimæ vſuræ, quia quatuor de duodecim tertiam partem conſtituunt, & propterea hæc vſura, triens vſura appellatur, eaque æquiſsima & leuiſsima eſt. Iulius Capito-li. in Alexandro. Per beſſem centeſimæ Iuſtinianus intelligit vſuras beſſes, quando in centum annuatim octo præſtantur. Hanc vſuram Iuſtinianus beſſem centeſimæ appellat, propterea quòd ex aſſe ſiue centeſima vſura duos trientes, qui octo conſtituunt, complectitur. Bes ſiquidem, authore Sexto Feſto Pompeio *lib. 2. antiquitat. Romana.* dicitur, quaſi bis triens, quamuis dura ea videatur compoſitio, vt Feſtus affirmat, Per dimidiam centeſimæ Iuſtinianus intelligit ſemiſſes vſuras, quando in centum ſingulis annis dantur ſex, & ſex dimidiam partem aſsis ſiue centeſimæ vſuræ faciunt, & idcirco has vſuras ſemiſſes vſuras vocamus, eaſque Plinius *lib. 14.*
18 *cap. 4.* ciuiles & modicas appellat. Hæc eſt vſurarum ratio, quam Iuſtinianus reſcripſit, eamque obſeruari vult, non ſolùm in contractibus ſtrictis, quando ex ſti-
19 pulatione vſuræ debentur, verùm etiam in contractibus bonæ fidei, quando vſuræ citra ſtipulationem debentur ex pacto vel

ex

ex mora, & iudex memoratam taxationem, occaſione conſuetudinis in regione obtinentis, augere non debet, vt Iuſtinianus Imperator loquitur *in d. l. eos, C. h. tit. noſtro de vſuris*. Nota quòd Iuſtinianus inquit, iudicem non debere augere taxationem occaſione conſuetudinis. His verbis reſpicit Iuſtinianus ad ſuperiora tempora, quibus iudex pro arbitrio ſuo in bonæ fidei iudiciis vſuras definiebat, ſecundum conſuetudinem cuiuſque regionis, vt ſuprà monui. Hunc morem etiam hodie iudex ſequitur, & pro arbitrio ſuo vſuras definit, ſecundum conſuetudinem cuiuſque loci. Cæterùm ſi ſecundum conſuetudinem loci grauiores vſuræ, quàm trientes, beſſes vel ſemiſſes debeantur, iudex conſuetudinem loci non ſequetur, ſed pro ratione perſonarum, vel trientes vſuras vel beſſes, vel ſemiſſes (quod tamen *Molinæo in tractatu de vſuris nu. 54.* non placuit) definiet. *d. l. eos, h. tit. n.* idq; Tribonianus, Theophilus, Dorotheus & reliqui Pandectarum compoſitores *ex d l. eos, h. tit. n.* adſcripſiſſe videntur, ad *d. l. 1. in prin. de vſur.* & ad *d. l. idemque §. ſi procurator, mandati*. Hæc enim verba dictæ legis primæ,

vt legem non oſtendat, itemque hæc ver-
ba, legitimo modo, quæ extant *in d.l.*
*idemq́; §. ſi procurator, mandati.* non ſunt
ICti Papiniani vel Vlpiani, ſed á compo-
ſitoribus librorum noſtrorum ad Papini-
anum & Vlpianum addita ſunt ex d. l. eos
h. tit. n. quemadmodum intelligitur ex
l. & in contraria, de vſuris, vbi Vlpianus
ſimpliciter ſcribit, in bonæ fidei iudiciis
venire vſuras, quæ in regione frequentan-
20 tur. Illud notandum eſt, quòd etſi Iuſtini-
anus centeſimam duram & grauiſsimam
vſurarum molem ſuſtulit: tamen certis
caſibus etiam hodie centeſima debeatur.
21 Ac primum quidem etiam hodie cente-
ſima vſura debetur in traiectitiis contra-
ctibus *d.l. eos, §. in traiectitiis, hoc tit. n.* ſicu-
ti in tit. proximè ſequenti, de nautico fœ-
nore, explicatur, & videantur quæ dixi in
22 tit. de pact. Deinde centeſima debetur in
ſpecierum fœnori dationibus. *d. l. eos, §.*
*in traiectitiis, hoc tit. n.* hoc eſt, centeſima v-
ſura debetur, quando vinum, oleum, tri-
ticum, hordeum & ſimiles fructus crediti
ſunt. Olim fructibus creditis, poterat cre-
ditor in duos modios tertium modium
ſtipulari, vt ſup. dictum eſt: hodie hoc fa-
cere

cere non poteſt, ſed legitima fructuum vſura eſt centeſima. Tertiò centeſima v- 23
ſuræ debetur, quando quis pecuniam eius, cuius tutelam negotiaùe adminiſtrat, in ſuos vſus conuertit, tunc maximas vſuras præſtat, vt eſt à Diuis Principibus conſtitutum. Ita ICtus Tryphoninus refert, *in l. qui ſine, §. ſed quas vſuras, de negot. geſtis*. Maximæ vſuræ ſunt, vſuræ legitimæ. *l. tutor qui repertorium, § pecuniæ quam in ſuos vſus converterunt, de adminiſtrat. & peric. tuto. l. 1. C. de vſuris pupilla.* hoc eſt, vſuræ centeſimæ, quæ olim, vt ſup. expoſitum 24
eſt, legitimæ vſuræ fuerunt. Et has vſuras præſtant, qui aliena negotia gerunt, & pecuniam clam in proprios vſus conuertunt. Si palàm id faciant, non obligabuntur grauiſsimis vſuris, ſed iis duntaxat quæ in regionibus frequentantur. *l. idemq; §. ſi procurator, mandati.* Multùm enim refert, vtrum palam aperteque debitorem ſe quis pupillo faciat, an verò ſub adminiſtratione tutelæ, pupilliq; vtilitate latenter ſua commoda pupilli pecunia iuuet. *l. non exiſtimo, de adminiſtrat. & periculo tuto.* Denique condemnatus, 25
qui poſt tempora iudicati non ſoluit, cen-

centeſimam vſuram præſtat *l.1.2.& 3. C. de*
26 *vſur. rei iudicatæ.* Condemnatis olim ad ſoluendum triginta dies dabantur, qui iuſti dicebantur. Sic enim in duodecim tabulis ſcriptum fuit: AEris confeſsi rebuſque iure iudicatis triginta dies iuſti ſunt. *Gellius libro 20. c. 1.* Dicebantur dies iſti iuſti, propterea quòd intra dies illos iudicati exactio non erat. Poſtea ex alia quadam lege, iudicato faciendo duo menſes dati fuerunt, *l. 1. C. Theodoſ. de vſur. rei indica.* & ſignificat Imperator noſter Iuſtinianus *in l. fina. § penult.* ibi antiquitas laxamentum duorum menſium præſtabat. *C. de vſuris rei iudicatæ.* Hodie ex Imperatoris Iuſtiniani conſtitutione, dantur iudicatis ad ſoluendum quatuor menſes,
27 *l. 2. C. de vſur. rei iudica.* Et hæc ſolutionis tempora, humanitatis gratia, iudicatis indulta ſunt, *l. cum militi, in fine, de compenſatio.* & vt Conſtantinus, Harmenop. *lib. 1. epitoma. tit. 4.* circa finem eleganter inquit, πρὸς ἀνάθαλψιν hoc eſt, vt condemnatus intra tempora illa reſpirare & quodammodo ſe rurſus colligere poſsit. Et poſt ſententiam, intra tempora iudicati, vſurarum curſus inhibetur,

vt

vt capite proximè præcedenti ſup. monui. Verùm ſi condemnatus poſt tempora iudicati non ſoluat, eius temporis, quod poſtea fluxerit, vſuram centeſimam præſtat, *tot. tit. de vſur. rei iudicata in C.* His quatuor caſibus exceptis, vſura centeſima hodie non debetur, ſed vel trientes vſuræ debentur, vel ſemiſſes, vel beſſes, pro qualitate perſonarum, vt ſup. expoſitum eſt. Et ſi fortè illuſtris perſona, 28
quæ non niſi trientes vſuras rectè ſtipulatur, per interpoſitam perſonam, vt puta per argentarium, beſſes vſuras ſtipulata fuerit, perinde vſuræ debent computari, ac ſi illuſtris perſona, quæ argentarium interpoſuit, vſuras ſtipulata eſſet, & proinde trientes vſuræ debebuntur, non beſſes. Atq; ita ab Imperatore Iuſtiniano conſtitutum eſt *in d. l. eos, §. fin. h. tit. n.* ibi Iuſtinianus addit, ad excludendas huiuſmodi machinationes, deferri quoq; poſſe ſtipulatori ſacramentum, vt ſe ſacramento ſuo purget, ſe ſibi vſuras ſtipulatum eſſe, & non alteri operam ſuam accommodaſſe. Ex his intelligimus, quis olim fuerit vſurarum modus, & quem vſuris modum Iuſtinianus ſtatuerit. Videamus

nunc quid dicendum ſit, ſi quis ſecundum ius antiquum centeſimam vſuram, vel ſecundum Iuſtiniani conſtitutionem, vſuras
29 ſemiſſes ſit ſtipulatus, & poſtea per certos annos minores fuerit conſecutus, vtrum nihilominus vſuras, quas ſtipulatus eſt, petere poſsit, an verò minoribus vſuris, quas conſecutus eſt, in poſterum contentus eſſe cogatur. Hac de re agitur *in l. aduerſus, h. tit. n. & in l. qui ſemiſſes, ff. eod. de vſuris.* Vtrobique traditum eſt, creditorem, qui certis annis minores vſuras accepit, quàm ſtipulatus fuerat, maiores ex ſtipulatu petentem pacti exceptione ſubmoueri poſſe. Tacitè namq; pactus creditor videtur, maiores vſuras non petere, vbi per certos annos minores accepit. Sic enim Seuerus & Antoninꝰ Imperatores reſcripſerunt: Aduerſus creditorem vſuras maiores ex ſtipulatu petentem, ſi probetur per certos annos minores poſtea conſecutus, vtilis eſt pacti exceptio, ſecundum quod tueri cauſam poteſtis, etiam aduerſus defenſores ciuitatis, maiores petentes ex cautione, ſi probaueritis ſemper quincunces amitam pupillorum veſtrorum, quæ maiores cauerat, dependiſſe. *d. l. aduerſus,*

*uerſus,h.tit.n.* Et Scæuola ICtus reſpondit: Qui ſemiſſes vſuras promiſit, per multos annos minores præſtitit. Heres creditoris ſemiſſes petit,cum per debitorem non ſteterit,quò minus minores ſoluat:quæro an exceptio doli vel pacti obſtet? Reſpondi, ſi in exſoluendis ex more vſuris per tanta tempora mora per debitorem non fuit, poſſe ſecundum ea quæ proponerentur, obſtare exceptionem,*d.l.qui ſemiſſes,de vſuris.* In hanc ipſam rem adduci quoq; poteſt,*l.quamuis,h tit n.* in qua Baſſa cùm pecuniam mutuam acciperet, minores vſuras Menophani ſpopondit, & niſi intra certum tempus eas ſoluiſſet, ampliores ſtipulanti promiſit. Baſſa poſtea intra tempus conſtitutum minores vſuras non ſoluit, atq; ita Menophanes maiores vſuras ex ſtipulatione petere potuit, non tamen maiores ſibi dari poſtulauit, ſed minores accepit. Imperator Antoninus reſcripſit eas vſuras computari oportere, quarum in exactione creditor perſeuerauit,*d.l.quamuis,h.tit.n.* Qui igitur per certos annos minores vſuras accepit, cùm maiores accipere potuiſſet, de maioribus non petendis tacitè pactus eſſe videtur.

Sic

30 Sic è contrario tacitum quoq; pactum inducitur, quando debitor minores vſuras promiſit, & poſtea aliquandiu maiores præſtitit, & ob id debitor maiores vſuras ſolutas non poteſt condicere, nec quoque in ſortem computare, quia eas naturaliter debuit ex pacto: in poſterum tamen maiores vſuras ſoluere non compellitur, cùm diuturna præſtatio obligationem non inducat, *vt c. proximè præcedenti circa finem expoſitum eſt*, quamuis pactum tacitum inducere poſſit, ſicuti & præſumptionem obligationis facit, vt dicto capite

31 proximè præcedenti monui. Et hæc tunc procedunt, quando debitor ſciens maiores vſuras ſoluit: ſecus eſt, quando per errorem & ignorantiam id facit, tunc ex diuturna præſtatione, tacitum pactum non inducitur. Ratio eſt, quia pactum conſenſu fit, ita enim definitur, quod ſit duorum aut plurium in idem placitum, conſenſus, *in l. 1. de pactis. in l. 3. de pollicita.* At qui errant, non conſentiunt. *l. ſi per errorem, de iuriſdictio. l. nihil conſenſui, de reg. iur.* Hoc igitur caſu debitor, qui per errorem maiores vſuras ſoluit, id quod amplius vſurarum nomine ſoluit, quàm ſoluere debuiſ-

buiſſet, in ſortem computabit. *l. creditor, §. vlt. de ſolutio.* ibi Titius mutuam pecuniam accepit, & quincunces vſuras ſpopondit, easque paucis annis ſoluit, poſtea nullo pacto interueniente, per errorem & ignorantiam ſemiſſes vſuras ſoluit: Quæritur an patefacto errore id quod amplius vſurarum nomine ſolutum eſſet, quàm in ſtipulatum deductum, ſortem minueret. Scæuola reſpondit, ſi errore plus in vſuris ſoluiſſet, quàm deberet, habendam rationem in ſortem eius, quod amplius ſolutum eſſet. Loquitur Scæuola in illo caſu, quo debitor per errorem maiores vſuras ſoluit, idq; propterea vt ſignificet, aliud eſſe dicendum, ſi maiores vſuras debitor ſciens ſoluerit. Hoc caſu, quod amplius vſurarum nomine ſolutum eſt, in ſortem non computabitur. Et quæ 32
de vſuris diximus, minoribus pro maioribus aliquot annis ſolutis, maiores deinde peti non poſſe, ad annuos reditus ſiue ad annuas præſtationes neutiquam trahenda ſunt. Etenim annuo reditu minori pro maiori certis annis ſoluto, non propterea maior annuus reditus deberi deſinit. Vnde ſi debeas mihi annuatim ſol-

uere ſex ſolidos,& per quinq; aut ſex annos ſoluas duntaxat quatuor aut quinq; ſolidos,non propterea in poſterum à præſtatione ſex ſolidorum liberaris. Sic ſi pro ſex ſolidis antiquæ monetæ, quæ eſt maioris valoris, mihi ſoluas per quinq; aut ſex annos ſex ſolidos monetæ nouæ, quæ eſt minoris valoris ,non propterea liberatus es à præſtatione ſex ſolidorũ antiquæ monetæ. Ita Baldus, Salicetus & alii tradiderunt *in d.l.aduerſus,h.tit.n. Balbus in tractatu,de præſcript.in 2.parte quartæ part.principalis quæſtio.5.cùm ſequenti.* Nec enim hîc tacitum pactum inter me & te interceſsiſſe dicimus,de quatuor aut quinq; ſolidis pro ſex ſolidis ſoluendis, aut de ſoluendis ſex ſolidis monetæ nouæ pro ſex ſolidis monetæ antiquæ. Differentiæ verò ratio inter vſuras & annuos reditus ſiue annuas penſitationes, ſecundum quoſdam hac in parte, hæc eſt, quòd vſuræ odioſæ eſſe creduntur: annui reditus autem ſiue annuæ penſitationes ſunt fauorabiles. Et quia odia ſunt reſtringenda , fauores autem ampliandi, vt vulgata iuris regula habet propterea in odium vſurarum dicimus, per tacitam pactionem à maioribus vſu-

ris

ris ſoluendis receſſum eſſe, minoribus per certos annos præſtitis. Et hanc tacitam pactionem in annuis reditibus ſiue annuis penſitationibus, propterea quod fauorabiles ſunt, non ſimiliter inducimus. Et hæc Azonis fuit opinio, quam complures alii ſequuntur, *in l. aduerſus, C. de vſur. Decianus reſponſo 2. nu. 45. in 1. volu.* ſed hæc ratio mihi non placet. Nec enim vſuræ, quæ intra legitimum modum continentur, ſunt odioſæ. Exiſtimo ergo differentiæ rationem ex eo pendere, quod annui reditus fauorabiliores ſunt vſuris annuis. Et cùm dico annuos reditus fauorabiliores eſſe vſuris, non hoc volo, quòd vſuræ ſunt odioſæ. Sic enim vltimæ quoq; voluntates fauorabiliores ſunt contractibus, nec tamen inde ſequitur contractus eſſe odioſos. Ex eo quoque, quod vſuræ ex pacto non debentur nec peti poſſunt, non efficitur, vſuras eſſe odioſas, cum quiduis aliud nudo pacto promiſſum peti non poſsit, niſi pactum legitimum fuerit. Et hæc prima eſt inter vſuras & annuos reditus ſiue annuas penſitationes differentia. Differunt 33
deinde in eo quoque, quòd vſuris certus modus eſt præſcriptus, ſicuti legatis

modus

modus iniectus eſt, itemque donationibus *l. eos, hoc tit. n.* At annui reditus certum modum non habent. Et quod dicitur *in Nouell. conſtitutio. 7. §. quia verò*, ſuburbanum prædium vero pretio æſtimari, deindo eius pretii viceſimam partem eccleſiæ præſtari quotannis debere, ad canonem emphyteuticum pertinet, non ad annuos reditus, quamuis *gl. in d. §. quia verò, in verbo, computari, & gl. in authen. perpetua, in verbo, iuſta, C. de S.S. eccleſ. gl. in c. cùm cauſa, in verbo, ad alium, in fine. extra de teſtib.* id etiam ad annuos reditus trahant. *Andreas Geil libro 2. practica. obſeruatio. c. 5. & rurſus. c. 9.* Sanè ex conſtitutionibus imperii *anno 30. & 48. in Comitiis Auguſtanis editis*, annui reditus certum modum acceperunt. Ex iis ſiquidem conſtitutionibus, emptiones redituum, ad rationem viginti pro vno floreno approbantur, & quod amplius accipitur, reiicitur & pro non adiecto habetur. *Andreas Geil d. obſeruatio. 5. & 9.*

34 Tertiò differunt annui reditus & vſuræ in eo, quòd annuis reditibus ſiue præſtationibus annuis præſcriptio triginta vel quadraginta annorum non obſtat, hoc eſt, quamuis annui reditus intra triginta

ginta vel quadraginta annos petiti non fuerint, nihilominus poſt triginta vel quadraginta annos, ſingulis annis annui reditus peti adhuc poſſunt. Olim quidem inter antiquos gloſſatores Martinum & Bulgarum, ingens de præſcriptione annuorum redituum fuit concertatio. Bulgarus enim volebat, in annuis reditibus ſiue præſtationibus annuis præſcriptionem triginta annorum locum habere. Martinus contrà ſentiebat *l. cum notiſsimi, §. fin. C. de præſcriptio. triginta anno.* Et in Bulgari ſententiam omnes Citramontani iuerunt. Martini opinionem Vltramontani probârunt. *Crauetta de antiquitate tempo. in 4. parte.* Et hæc Martini & Vltramontanorum ſententia de iure verior eſt, *per textum in d. l. cum notiſsimi, §. pen. C. de præſcriptio trigin. anno.* ibi Imperator Iuſtinus in hæc verba reſcripſit: In promiſsionibus vel legatis, vel aliis obligationibus, quæ dationem per ſingulos annos vel menſes, vel aliquot ſingulare tempus continent, tempora præſcriptionum, non ab exordio talis obligationis, ſed ab initio cuiuſcunq; anni, vel menſis vel alterius ſingularis temporis computari manifeſtum eſt. In-

quit Iuſtinus , in promiſsionibus vel
legatis, ex quibus verbis intelligimus,
nullam hic conſtituendam eſſe differenti-
am inter ſtipulationes & legata, quod ta-
men Accurſius *in d. l. cùm notiſsimi, §. pen.*
facere tentauit. Nam ſiue ex promiſsio-
nibus, hoc eſt, ex ſtipulationibus, ſiue ex
legatis, per ſingulos annos vel menſes
quid debeatur, tempora præſcriptionum,
non ab exordio talis obligationis, ſed ab
initio cuiuſcunque anni vel menſis com-
putantur. Nota quòd Iuſtinus ait, tem-
pora præſcriptionum ab initio cuiuſque
35 anni vel menſis computari. His verbis ſi-
gnificat Iuſtinus, cùm quid annuum vel
menſtruum debetur, ſingulos annos vel
menſes, propriam habere præſcriptio-
nem. Et hoc eſt, quòd vulgò dicunt, quot
36 ſunt anni, tot ſunt præſcriptiones. Ideò
verò ſinguli anni propriam habent præ-
ſcriptionem, quia ſingulis annis naſcitur
noua actio, cùm ſingulis annis quod pro-
miſſum eſt, præſtandum ſit, & quot ſunt
præſtationes, tot ſunt actiones. Pro fu-
turis annis actio non naſcitur, vt pro eo
quod anno ab hoc ſecundo, tertio vel
quarto ſolui, nondum competit actio, ſed

tunc demum actio competit, vbi ſecundus, tertius vel quartus annus venit, & quod promiſſum eſt, iam præſtari debet & peti poteſt. Inde ſequitur, quod præſcriptio etiam contra actionem ſingulis annis natam currat, ſi quo anno penſio, quæ inferri debuit, non præſtetur. Pro futuris annis præſcriptio non currit, quia pro futuris annis actio nondum nata eſt, per quam penſio futurorum annorum peti poſsit. Actione non nata, neceſſe eſt vt dicamus, præſcriptionem ceſſare, cùm quod nondum eſt, præſcribi non poſsit, per illud vulgatum, non entis non ſunt aliquæ qualitates. *l. 2. de vſufr. l. 4. locati. l. adeo, §. quod ſi toto, de acquir. rer. domin. l. eius qui in prouincia, verſi, quod ſi ſtipulatus, ſi certum petetur.* Atque ita intelligimus, etſi intra triginta vel quadraginta annos annuus reditus non fuerit ſolutus, non propterea creditorem impediri, quò minus poſt triginta vel quadraginta annos, ſingulis annis reditum adhuc petere poſsit. Et ſic rectè Martinus, vt ſup. dictum eſt, ſenſit, & Martini ſententiam Camera Imperialis probauit. *Mynſingerus in 3. centu. obſeruat. 13.*

*nat.13. Andreas Geiel in practicis obſeruatio. obſeruat.73 & aſſeſſores conſiſtorii Palatinatus. VVurmſerus in practicis obſeruatio titulo de præſcriptio. c.5.* quamuis Bulgari opi-
37 nionem, quam latè defendit Hieronymus Schurff. conſi. 10. in 1. centur. Lipſenſes & Vitebergenſes ſequantur, vt ex conſtitutione Auguſti parte 2. conſtitut. 2. videre licet, ibi dicitur, wiewol eine ſchwere diſputation im rechten iſt/ an annuæ præſtationi in totum poſsit præſcribi, dennoch ſo haben vnſere verordente dahin geſchloſſen/daß die jherlichē zinſe vnd præſtationes,welche aus einer zuſage oder contract jhren vrſprung haben / ſo ſie vber rechts vorwerte zeit erleget/können verjaret werden/nicht allein/daß die verſeſſene zinſe nicht zu zalen / Sondern daß auch die zukünfftigen nicht dürffen erlegt werden/welches auch in Teſtamenten vnd letzten willen/ ohne vnderſcheidt/als krafft vnſerer conſtitution, dieweil im rechten derowegen zweiffel geweſen / ſtat haben / vnd die zin-

zinſe præſcribieret werden ſollen/dar-
auff dañ vnſere gericht zuerkeñen haben.
Et hæc de præſcriptione annuorum redi-
tuum. Vſurarum annuæ præſtationes tri- 38
ginta vel quadraginta annis præſcribun-
tur,& creditor, qui intra triginta vel qua-
draginta annos vſuras non petiit,poſt tri-
ginta vel quadraginta annos vſuras petere
non poteſt. *l.ſi quis emptionis,§.fina.de præ-
ſcriptio.triginta vel quadraginta anno.* ibi Im-
perator Iuſtinianus inquit, exceptionem
triginta vel quadraginta annorum, in il-
lis contractibus,in quibus vſuræ ſunt pro-
miſſæ , ex illo tempore initium capere
ſancimus, ex quo debitor vſuras minimè
perſoluit. At dices,quando vſuræ annua-
tim debentur,ſingulis annis earum actio
naſcitur,non minus quàm cum annui re-
ditus debentur.*d.l.eos,in princ.h.tit.n.* Igi-
tur videtur dicendum,vſuras quoque poſt
triginta vel quadraginta annos adhuc
deberi & peti poſſe , ſicuti annui reditus
poſt triginta vel quadraginta annos de-
bentur & rectè petuntur.Et quamuis ve-
rum eſt,quòd ſingulis annis vſurarum a-
ctio naſcitur : tamen vſuræ triginta vel
quadraginta annis præſcribuntur , non

39 etiam annui reditus, propterea quòd vſuræ ſunt acceſsio & ſequela alterius obligationis, vt ex definitione vſurarum, *ſup. c.1. tradita*, ſatis conſtat. Et ideò obligatione principali ſublata & extincta per præſcriptionem triginta annorum, extinguitur etiam obligatio acceſſoria vſurarum. *l. cùm principalis, l. nihil dolo, §. cùm principalis, de reg. iur.* Verbi gratia: Dedi tibi mutuo centum ſolidos, & ſtipulatus ſum à te vſuras ſemiſſes: ego poſtea intra triginta annos ſortem à te non repetii, nec etiam vſuras vllas exegi. Hic tu me poſt triginta annos agentem & ſortem repetentem exceptione triginta annorum ſubmouere potes ex nobili illa conſtitutione Theodoſii, quæ extat *in l. ſicut, C. de præſcript. triginta anno.* quam Caſsiodorus humani generis patronam appellat. Quod ſi poſt triginta annos vſuras à te petam, tu me ſimiliter præſcriptione triginta annorum repelles, quia cum principalis obligatio triginta annis fuerit extincta, non eſt inconueniens vt dicamus, extinctam quoque eſſe obligationem acceſſoriam. Et hæc eſt tertia differentia inter vſuras & alios

alios annuos reditus, quòd vſuræ non amplius debentur, poſtquam in earum ſolutione per triginta annos ceſſatum eſt. Alii autem annui reditus peti poſſunt, etiam poſt triginta annos, quamuis intra triginta annos nulli reditus fuerint ſoluti. Quartò in eo quoque dif- 40
ferunt annui reditus ab vſuris annuis, quòd annuis reditibus intra triginta annos non ſolutis, præteriti temporis reditus, quorum reſpectu triginta anni lapſi non ſunt, peti poſſunt. Verbi gratia: Debeo tibi annuatim ſoluere decem ſolidos, eosque per aliquot annos ſolui: poſtea in ſolutione huius annui reditus ceſſaui, & quidem per triginta annos, nec tu vllos intra triginta annos reditus à me petiiſti. Hoc caſu non potes à me petere reditum primi anni, quo deſii reditum annuum tibi ſoluere, quia primi iſtius anni reſpectu, triginta anni lapſi ſunt, atque ita reditus iſtius anni triginta annis eſt præſcriptus. At quæritur, an ſecundi anni vel tertii, quarti, quinti & ſequentium annorum reditum petere poſsis? Et ita dicendum eſt, qui reſpectu ſecundi, tertii,

quarti, quinti anni & ſequentium annorum triginta anni nondum ſunt lapſi, ſed reſpectu ſecundi anni, lapſi duntaxat ſunt anni viginti nouem: reſpectu tertii anni, lapſi ſunt anni viginti octo: reſpectu quarti, lapſi ſunt anni viginti ſeptem: reſpectu quinti, lapſi ſunt anni viginti ſex. Horum igitur annorum reditum petere non prohiberis. Imò cùm triginta duntaxat anni præterierint, ab illo tempore, quo ceſſaui annuum reditum tibi ſoluere, primi duntaxat anni reditum à me petere non potes, ſequentium autem viginti nouem annorum reditum rectè petis. Ratio eſt, quia tempora præſcriptionum ab initio cuiuſq; anni computantur *d. l. cùm notiſſimi, § penult. C. de præſcriptio. triginta annor.* hoc eſt, ſinguli anni propriam habent præſcriptionem, & ſingulis annis quibus ceſſatum eſt in ſoluendo annuo reditu, incipit currere præſcriptio. Præſcriptio, inquam, triginta annorum. Hanc enim intelligimus, cùm dicimus, in annuis reditibus, ſingulos annos propriam habere præſcriptionem. Nec hoc volumus, quòd ſingulis annis præſcriptio compleatur in annuis reditibus. *d. l. cùm no-*

*no-*

*notiſsimi, §. penult. C. de præſcriptio. triginta anno.* Si igitur ab illis annis, quibus annua penſio ſoluta non eſt, lapſi ſunt triginta anni, tunc illorum annorum reditus peti non poſſunt. Si nondum lapſi ſunt triginta anni, reditus annui poſſunt peti. Atque ita quando in ſolutione annui reditus ceſſatur, ſemper primi anni reditus citius quàm ſecundi, ſecundi anni reditus citius quàm tertii, tertii anni reditus citius quàm quarti, quarti anni reditus citius quàm quinti præſcribitur, ac citius præſcriptio triginta annorum aduerſus priores annos currit, quàm aduerſus poſteriores. Nam & citius priorum annorum actiones naſcuntur, quàm poſteriorum. Ac quemadmodum in annuis reditibus actiones non naſcuntur, ſimul vno eodemque tempore, ſed ſingulis annis, quibus penſio ſoluenda eſt, ſingulæ actiones naſcuntur: ita quoq; annuorum redituum actiones ſimul vno eodemq; tempore non præſcribuntur, ſed ſingulæ actiones proprium ad præſcriptionem tempus habent: ac ſingulæ actiones præſcribuntur triginta annis, quo fit, vt dictum eſt, vt ſemper præſcriptio citius currat ad-

uerſus priores annos, quàm aduerſus poſteriores. Et hæc ſummè notanda ſunt, propterea quòd à paucis intelliguntur, & ſæpiſsimè multi hac in re impingunt, qui quòd ceſſatum eſt per triginta annos in ſoluendis annuis reditib. præteritorum annorum reditum non deberi, indiſtinctè re-

41 ſpondent, & ſic Vitebergenſes ac Lipſenſes etiã quotidie pronuntiant, quòd poſt triginta annos præteritorum annorum reditus non debeantur, vt videre licet ex conſtitutione Electoris Auguſti ſuprà rela-

42 ta. Quod de annuis reditibus diximus, idẽ non obtinet in vſuris annuis. Etenim vſuris intra triginta annos non ſolutis, præteriti temporis vſuræ peti non poſſunt *d. l. eos, in prin. h. tit. n.* Olim quidem hac in re idem iuris obtinuit in vſuris annuis, quod hodie obtinet in annuis reditibus, propterea quod vſurarum actio, ſicuti annuorum redituum, ſingulis annis naſcitur. *d. l. eos, h. tit. n.* atque ita Patricius voluit, vt in Synopſi baſilicon *libro 23. titulo. 3.* refertur ad hunc modum: τῆς διαπράξεως τῆς βουλομένης τὰς προσοδικὰς ἀγωγὰς φθείρεσθαι λ. ἐνιαυτοῖς εἰσενεχθείσι, ὁ ἥρως πατρίκιος μέθοδον ἐπινόει τὴν τοιαύτην:

τὴν: ὥστε φησὶν ἀναιρεῖσθαι τὴν προσωπικὴν ἀγωγὴν τῇ τῶν λ. ἐτῶν παραδρομῇ. ἀνηρείσθω οὖν ἐπὶ τοῦ κεφαλαίου καὶ μόνον. ἐπειδὴ κατὰ τὴν τοῦ κεφαλαίου δόσιν διέδραμεν ἡ τριακονταετηρίς. οἱ δὲ τόκοι φησὶν ἀπαιτείσθωσαν. οὐδὲ γὰρ πάντως φυσὶν ἀπεκλείσθησαν οἱ τόκοι τῇ τριακονταετηρίδι. ἐπειδὴ ὁ τόκος καθέκαστον ἐνιαυτὸν τίκτεται. λ. ἐνιαυτῶν ἐπὶ τῷ κεφαλαίῳ δραμόντων. εὑρίσκεται ἐπὶ τῷ τόκῳ τοῦ πρώτου ἐνιαυτοῦ δραμόντα κθ. ἔτη. ἐπὶ δὲ τῷ τόκῳ τοῦ δευτέρου ἐνιαυτοῦ, κη. καὶ οὕτω ἐφεξῆς ἐπὶ τοῖς τόκοις τῶν μετὰ ταῦτα ἐνιαυτῶν, ἐλάττων χρόνος εὑρίσκεται διαδραμών. hoc eſt, in ea conſtitutione, quæ actiones perſonales annis triginta lapſis expirare vult, heros ille Patricius viam rationemque talem inuenit, vt diceret, actionem perſonalem tolli quidem illam annorum triginta decurſu, ſed nomine ſortis duntaxat tolli: quandoquidem ſortis datæ ratione ſpatium annorũ triginta decurrit. At vſuræ petantur, inquit. Non enim prorſus ait, per illud annorum triginta ſpatiũ excluſæ ſunt vſuræ, cùm eæ ſingulis annis naſcantur. Triginta elapſis annis ratione ſortis, inueniuntur

vſu-

vſurarum nomine anni primi, decurriſſe anni viginti nouem. Deinde ſecundi anni, vſurarum nomine viginti octo, atque ita deinceps pro vſuris annorum ſequentium, minus temporis elapſum deprehenditur. Hæc autor Baſilicon. Cæterum hodie vſuræ præteriti temporis peti non
43 poſſunt. *d. l. eos, h. tit. noſtro.* Differentiæ verò ratio inter annuos reditus & vſuras annuas ex eo petenda eſt, quòd annui reditus per ſe ſubſiſtunt. Vſurarum obligatio eſt ſequela ſortis, & propterea ſortis obligatione, actione nimirum perſonali triginta annis ſublata, ſatis ſuperuacuum eſt ſuper vſuris iudicem cognoſcere, vt Iuſtinianus loquitur, *in d. l. eos, in princ. hoc tit. noſtro.* Ait Iuſtinianus, qui perſonali vel hypothecaria actione ceciderunt. Perſonali actione quis cadit triginta annis, *l. ſicut, C. de præſcriptio. triginta anno.* hypothecaria, annis quadraginta. *d. l. cum notiſsimi, C. de præſcriptio. 30. anno.* Et qui vtraque actione cecidêrunt, vſuras petere non poſſunt. At qui perſonali actione cecidêrunt, vſuras adhuc petere, poſſunt, ſi hypothecaria actio ſuperſit. Nam & ob vſuras hypotheca retineri poteſt.

teſt. *d. l. eos, h. tit. noſtro.* At quomodo dices fieri poteſt, vt quis perſonali actione cadat, hypotheca non cadat. Hypotheca eſt acceſsio perſonalis actionis, *l. in omnibus, de ſolutio.* & ideo dicendum videtur, perſonali actione ſublata ſpatio triginta annorum, hypothecariam ſupereſſe non poſſe, *per l. cum principalis, l. nihil dolo, §. 1. de reg. iur.* Sed non eſt nouum vt principali non ſubſiſtente, acceſſoriæ durent, & propterea *in d. l. cùm principalis*, dicitur, cum principalis cauſa non ſubſiſtit, plerunq; nec ea quæ ſequuntur, locum habere. Imò tentari poſſet, hypothecariam actionem, actionis perſonalis acceſsionem non eſſe, ſed duas eſſe actiones principales diuerſi iuris, quemadmodum ex eo intelligitur, quòd hypothecaria actio, eſt actio in rem, *l. pignoris, C. de pign.* & perſonam non obligat, ſed rem ſequitur, *l. 2. C. ſi vnus ex pluribus heredibus.* Non mirum igitur, quòd vincula pignoris durant, perſonali actione ſubmota, *l. 2. C. de luition. pigno.* ibi Imperator reſcripſit, id nos intelligere debere. Durant autem vincula pignoris perſonali actione ſublata, ſi debitor intra triginta annos

(Margin: 44 beside "cadat, hypotheca non cadat. Hypothe-"; 45 beside "cum habere. Imò tentari poſſet, hypothe-"; 46 beside "ſcripſit, id nos intelligere debere. Du-")

annos non interpelletur à creditore. Hic debitor perſonali actione liberatur, hypothecaria non item, vt eſt proditum in l. qui occidit. *§.1.ad L. Aquil.* vbi dicitur, pignus manere, etiamſi debitor ſit tempore liberatus ab obligatione perſonali. Sic hypothecaria actio durat amiſſa perſonali *in l. vnus ex multis, C. de diſtractio. pigno & l. 1. C. de luitio. pigno.* Vtriusque legis eadem eſt ſententia. Pone: Dedi Titio mutuo centum, & ab eo pignora accepi. Titius moritur, duobus relictis heredibus: inter heredes obligatio diuiditur *ex l. 12. tabul.* & ideo ſinguli heredes non niſi quinquaginta debent. *l. 1. C. ſi certum pete. l. heredes, §. idem iuris, famil. herciſ.* vnus ex heredibus partem ſuam ſoluit, atq; ita perſonali actione liberatus eſt: Quæritur an pactionem ſuam ex pignoribus recipere poſsit. Et ab Imperatoribus eſt reſcriptum, heredem, niſi totum debitum exſoluat, ſuam portionem ex pignoribus recipere non poſſe, ſed creditorem nihilominus habere facultatem diſtrahendi pignora *d. l. vnus ex multis, C. de diſtractio pigno. d. l. 1. C. de luitio. pignor.* Nec enim naſcitur pigoratitia actio, niſi omnis pecunia exſoluta

luta fuerit. *l. ſi rem, §. omnis, de pignor. actio.* Hic igitur perſonali actione ſublata, vincula pignoris durant. Et ſicuti actio perſonalis inter heredes diuiditur, *ex l. 12. tabul.* ita inter heredes non diuiditur actio hypothecaria, ſed ſinguli heredes in ſolidum tenentur. *l. 2. C ſi vnus ex plurib. heredib. credit. l. heredes, §. idem obſeruatur in pignorib. famil. hercif.* Et hoc eſt quod dicitur, indiuiſam eſſe pignoris cauſam in l. rem hereditariam, de euictio. Sic vinculum pignoris durat, ſublata perſonali actione *in l. debitor, ad SCtum. Trebellia.* Pone: Titius qui ſub pignore debet, creditorem ſuum heredem inſtituit, eumq; rogauit, vt hereditatem reſtitueret filiæ ſuæ, hoc eſt, teſtatoris: creditor coactus adiit hereditatem, per huiuſmodi coactam hereditatis aditionem, confuſa eſt obligatio ſiue actio perſonalis, hypothecaria tamen actio manſit. Et hoc ſignificatur illis verbis, videamus ne & pignus ſit liberatum, hoc eſt, pignus non eſt liberatum ſiue ſublatum. Hoc igitur etiam caſu, perſonali actione ſublata, durat hypothecaria. Cæterum inter hos tres caſus, quod notandum eſt, magna eſt differentia. Primo

enim caſu tollitur perſonalis actio ſiue obligatio iure ciuili tantùm, præſcriptione ſcilicet triginta annorum ex conſtitutione Theodoſii: Naturalis tamen obligatio manet, nec Theodoſius naturale ius tollere potuit, & propter naturalem obligationem hypotheca vſque ad quadraginta annos producitur. *l. cùm notiſſimi, C.*
47 *de præſcriptio triginta anno.* Secundo caſu tollitur perſonalis obligatio ſiue actio omni iure naturali & ciuili. Solutione enim eius quod debetur, omnis tollitur obligatio, vt Iuſtinianus ait *in princi. titu. quibus modis, tollitur obligat. in Inſtitut.* Omnis obligatio, hoc eſt, & naturalis & ciuilis obligatio. Hypothecaria tamen actio manet, propter indiuiſam pignoris càuſam. Poſtremo caſu rurſus tollitur perſonalis actio, non omni iure, ſed ciuili iure tantum, & naturale ius ſiue naturalis obligatio propter pignus manet. *d. l. debitor, ad SCtum Trebell. Iacobus Cuiatius in 5. obſeruatio. cap. 32.* Et hæc de quarto capite huius noſtri tractatus.

CA-

# CAPVT QVINTVM
## de pœnis quibus afficiuntur qui ſupra modum legibus præſcriptum vſuras exigunt.

1. *Olim creditores, qui ſupra legitimum modum vſuras exigebant, in quadruplum tenebantur.*
2. *Et hæc pœna ante Valentinianum, Theodoſium & Arcadium in vſu fuit.*
3. *Ex lege Gabinia improbi fœneratores ſortis petitionem amittebant.*
4. *Hodiè improbi fœneratores ſortem non amittunt, neq; in quadruplum tenentur.*
5. *ἀνατοκισμὸν, hoc eſt, renouationem vſurarum Iuſtinianus ſuſtulit.*
6. *Olim exigebantur vſuræ vſurarum in condemnationem deductarum, quod etiam Iuſtinianus ſuſtulit.*
7. *Hodie qui ſupra licitum modum vſuras exigunt, infamia notantur.*
8. *Fama omnibus rebus eſt pretioſior.*
9. *Improbi fœneratores criminaliter extra*

 ordi-

*ordinem iudicis arbitrio puniuntur.*

10. *Ratio prima eſt, quia improbi fœneratores ſtellionatum committunt.*

11. *Stellionatus dicitur à ſtellione animali, quod eſt ſimile lacertæ.*

12. *Secunda ratio, quia improbus fœnerator leges contemnit.*

13. *Tertia ratio eſt, quia pro quolibet priuato delicto, ratione intereſſe publici, ad pœnam extraordinariam proceditur.*

14. *Baldus voluit criminaliter improbum fœneratorem puniri non poſſe.*

15. *Refutantur rationes Baldi.*

17. *Fœnerator, qui ſecundum loci conſuetudinem maiores vſuras accepit, quàm lex permittit, excuſatur.*

17. *Qui conſuetudine aliquid permittente facit, dolo caret,*

Tanta ſæpius eſt hominum auaritia, vt non contenti licito & legitimo vſurarum modo, ſupra modum legibus præſcriptũ vſuras exigant. Huic malo legumlatores occurrere volentes, certas pœnas excogitârunt, quas irrogari voluerunt iis, qui illicitas vſuras accipiunt. De iis ergo
1 nunc quàm breuiſsimè dicemus. Ac olim qui-

quidem creditores, qui ſupra legitimum modum vſuras exigebant, in quadruplum tenebantur. Ita enim Valentinianus, Theodoſius & Arcadius Imperatores conſtituerunt *in l. 2. C. Thedoſ. de vſur.* verba eius conſtitutionis, quæ *c. 1. ſup.* quoque retulimus, hæc ſunt: Quicunque vltra centeſimā iure permiſsam, aliquid ſub occaſione neceſsitatis eruerit, quadrupli pœna & obligatione conſtrictus, ſine ceſſatione ſiue requie, protinus ablata redhibebit: hi verò qui antea pari furore graſſati vſpiam detegentur, in duplum extorta reſtituant. Notandum eſt, quòd Imperatores inquiunt, ſub occaſione neceſsitatis. Neceſsitatis cauſa multa permittuntur, quæ aliàs prohibentur, vt prolixiſsimè apud Rolandum à Valle *conſil. 81. num. 30 in 1. vol. & con. 1. num. 69. & con. 43. num. 30. cum ſequenti. in 2. vol. & con. 30. num. 13. cum multis ſeqq. & conſ 80. in 3. volum. & con. 56. num. 2. cum ſequenti. in 4. volum. & Tiraquellum de pœnis, cauſa 33. Tiberium Decianum reſponſo 20. num. 14. cum ſequenti. in 1. volum.* videre licet. Et quia creditores improbum fœnus exercentes, ad ſuæ improbitatis excuſationem, neceſsita-

tem prætexere ſolebant, ob id Sacratiſsimi Imperatores conſtituerunt, ne creditores audiantur, ſi neceſsitatem prætendant, & ob neceſsitatem, maiores ſe vſuras, quàm leges permittunt, accepiſſe dicant. Neceſsitas igitur creditores, qui ſupra modum legibus ſtatutum vſuras accipiunt, non excuſat, ſed puniuntur improbi fœneratores pœna quadrupli. *d.l.2. C.Theodo.de vſur.* ex qua & illud notandum eſt, quòd Imperatores improbos fœneratores, qui vſurarum modo legibus ſtatuto contenti non ſunt, furioſos ap-
2 pellant, itemq; graſſatores. Dictam verò quadrupli pœnam, etiam ante Valentinianum, Theodoſium & Arcadium in vſu fuiſſe, ex iis fortè dici poſſet, quæ *ſup.c.1.* ex Catone & Alexandro ab Alexandro tra-
3 dita fuerunt. Hoc amplius, ex lege, Gabinia improbi fœneratores ſortis petitionem amittebant, authore Cicerone *in 5. ad Atticũ.* Ex hac lege Gabinia exiſtimant quidam centeſimam vſuram deſcendere, *Barnab. Briſſonius lib.3. antiquitatum. c.1.* ſed
4 de eo ego nihil certi affirmare audeo. Hodiè improbi fœneratores, qui ſupra modũ legibus præſcriptum vſuras accipiunt,
neq;

neque in quadruplum tenentur, neque ſortem amittunt, ſed quod ſupra legitimum modum ſtipulati ſunt, ſtipulationi detrahitur, & quod ſolutum eſt, in ſortem computatur. Sic enim Papinianus reſpondit: Pecuniæ fœnebris intra diem certum debito non ſoluto, dupli ſtipulatum, in altero tanto, ſupra modum legitimæ vſuræ, reſpondi non tenere, quare pro modo cuiuſcunq; temporis, ſuperfluo detracto, ſtipulatio vires habebit. *l. pecuniæ, de vſur.* Inquit Papinianus, dupli ſtipulatum reſpondi non tenere, h.e. ſtipulationem dupli reſpondi non tenere. Stipulatum enim dixit pro ſtipulatione, quod in iure frequens eſt. Sic in ſtipulatum conceſsit, pro in ſtipulationem conceſsit, *in l. vxori, §. vlt. de legat. 3.* In ſtipulatum deductnm, hoc eſt, in ſtipulationem deductum. *l. ſi non ſortem, §. 1. de condictio. indeb. l. creditor, §. vlt. de ſolut. l. nihil interreſt, §. pro operis, de nautico fœno.* Super ſtipulatu iudicem adire, hoc eſt, ſuper ſtipulatione iudicem adire. *in l. 3. C. de inutil. ſtipulat.* Ex ſtipulatu vſuras petere, hoc eſt, ex ſtipulatione vſuras petere. *l. 5. C. de vſur.* Sed ad rem. Cum Papiniano conſentit Paulus in l. vſuras, de vſuris.

ibi Paulus inquit, vſuras illicitas ſorti mixtas, ipſas tantùm non deberi conſtat, cæterùm ſortem non vitiare. *in l. vſuras, de vſuris.* Sic Martianus ait: Placuit ſiue ſupra ſtatutum modum quis vſuras, ſtipulatus fuerit, ſiue vſurarum vſuras, quod illicitè adiectum eſt, pro non adiecto haberi, & licitas peti poſſe. *l. placuit, de vſur.* Nota, quòd Martianus vſuras illicitas appellat, non ſolùm quando quis ſupra ſtatutum modum vſuras ſtipulatus eſt, verùm etiam quando quis ſtipulatus eſt vſurarum vſuras. Vſuræ vſurarum illicitæ ſunt, ideoque nec in ſtipulatum deduci, nec exigi poſſunt *l. ſi non ſortem, §. 1. de con-*
5 *dictio. indeb.* Solebant tamen olim creditores vſuram renouare, hoc eſt, in ſortem redigere, ſtipulatione vſurarum, quæ debebantur, transfuſa in ſortis ſtipulationem, atq; ita poſtea totius ſortis vſuras ſtipulabantur, & in conſequentiam vſuras vſurarum conſequebantur. Hoc Græci appellant ἀνατοκισμὸν: Cicero renouationem fœnoris lib. 4. epiſt. ad Atticum. Sed hoc Iuſtinianus ſuſtulit. *in l. vlt. h. tit. n.* in qua definit, nullo modo licere cuiquam vſuras præteriti temporis vel futuri in ſortem

tem

tem redigere, & earum iterum vſuras ſti- 6
pulari. Sic olim exigebantur vſuræ vſura-
rum in comdemnationem deductarum. *l.*
*1. C. Theodo. de vſur. rei iudicatæ* quod etiam
Iuſtinianus ſuſtulit, *in l. 3. C. de vſur. rei iudi-
catæ*. Vſuræ igitur vſurarũ illicitæ ſunt, ſicuti
vſuræ ſupra ſtatutũ modum promiſſæ pro
illicitis habentur, & ideò non poſſunt pe-
ti, quòd deniq; Iuſtinianus quoq; oſtendit
*in l. eos, §. ſi quis, h. tit. n.* his verbis: Si quis
aliquid contra modum huius conſtitutio-
nis fecerit, nullam penitus de ſuperfluo
habeat actionem, ſed etſi acceperit, in ſor-
tem hoc imputare compelletur. Nulláne
igitur hodie pœna afficiuntur improbi fœ-
neratores, qui leges tranſgrediuntur, &
maiores à debitoribus vſuras accipiunt,
quàm leges permittunt? Imò afficiuntur,
& quidem longè maiori & grauiori pœna,
quàm olim afficiebantur. Quamuis enim 7
in quadruplum non teneantur, nec etiam
ſortẽ amittant: tamen propter improbũ
fœnus quod exercent, infamia notantur.
Sic enim Auguſtiſsimi Imperatores Dio-
cletianus & Maximianus reſcripſerunt:
improbum fœnus exercentibus & vſuras
vſurarum exigentibus infamiæ macula ir-

roganda eſt *l. improbum, C. ex quib. cauſis in-*
8 *fam. irrog.* Catellia. Cotta in memorabili-
bus in verbo, vſurarii. Fama ſiue honor
omnibus rebus eſt pretioſior, *l. Iulianus, ſi*
*quis omiſſa cauſa teſtamenti.* & vitæ compa-
ratur, ac propterea, vt pro vitæ corporiſ-
que tutela aggreſſorem impunè occidere
licet. *l. vt vim, de iuſti. & iure. Cicero in 1. offi.*
ita & pro honoris defenſione, *Fernandus*
*Vaſquius lib. 1. controuer. illuſtr. c. 11. nu. 7. 8. &*
*ſequenti.* Inde ſequitur, cùm famæ diſpen-
dio plectantur improbi fœneratores, gra-
9 uiſsima pœna eos mulctari. Nec verò hæc
ſola pœna hodie in improbos fœnerato-
res conſtituta eſt, ſed hoc amplius impro-
bi fœneratores criminaliter extra ordi-
nem iudicis arbitrio puniri poſſunt. Ita à
Iacobo Butrigario traditum eſt *in l. im-*
*probum, C. ex quib. cauſis infamia, irrog.* eiuſq;
opinionem & ſententiam conſulendo de-
fendit Corneus *con. 19. libro 3. Couarru. li-*
*bro 2. variarum reſolutionum, c. 3. num. 7.*
*Idem in epitom. de ſponſa. parte 2. c. 6. in ini-*
*tio, num. 17. Iulius Clarus libro 5. ſenten-*
*tia. §. vſura, verſi. & ex hoc, Menochius de*
*arbitra. iud. quæſtio. lib. 2. centu. 4. caſu 398.*
*Molinæus in tractatu, de vſur. num. 156. ibi*
teſta-

teſtatur hanc ſententiam in Parlamento Pariſienſi ſeruari. Rationes verò huius deciſionis multæ à Doctoribus adferun-
tur. Prima ratio eſt, quòd improbi fœ- 10
neratores dolosè agunt, exigentes quod eis non debetur, atque ita in ſtellionatus crimen incidunt, *l. 3. ſtellionatus, ibi ICtus* eleganter docet, quòd ſtellionatus obiicitur his, qui dolo quid fecerunt, ſi aliud crimen non ſit, quod obiiciatur, & ſtellionatus pœna eſt arbitraria, *l. 2. & 3. ſtellionatus*, & prolixè traditum eſt *à Menochio de arbitra. iud. quæſtio. libro 2. centu 4. caſu 381. vbi & ex Plinio libro 30. c. 10. hiſto. natu.*
refert, ſtellionatum dici à ſtellione anima- 11
li, lacertæ ſimili, quo nullum fraudulentius homini inuideat, indeque Plinius ait, ſtellionum nomen in maledictum
translatum. Secunda ratio eſt, quòd im- 12
probus fœnerator aduerſus legum præcepta facit, dum grauiores vſuras exigit, quàm lex permittit, & propterea inobœdientiæ pœnam incurrit, & iudicis arbitrio punitur. Hæc enim inobœdientiæ & contemptus principalium mandatorum pœna eſt. *Menoch. de arbitra. iud. quæſtio. libro 2. centu 4. caſu. 365.*

13 Tertia ratio eſt, quòd pro quolibet deli-
cto priuato, ratione intereſſe publici, ad
pœnam extraordinariam proceditur. *l. vlt. de extraordi. criminib. l. licitatio*, §. *quod illicitè, de publicanis.* ne aliàs delicta impunita maneant. *l. ita vulneratus, in fin. ad L. Aquil.* Hæ rationes adferuntur *à Rolando à Valle in conſi. 75. in 1. vol. & à Menochio, de arbitra. iud. quæſtio. libro 2. centu 4. caſu*
14 *398.* Et quamuis Baldus *in d. l. improbum, C. ex quibus cauſis infam. irrogatur.* velle videtur, improbum fœneratorem non puniri criminaliter, & Baldi ſententiam *Rolandus à Valle d. conſi. 75. in 1. volu. & Crauetta con. 6. num. 101. cum ſequenti*, ſequuntur: tamen à priori ſententia recedendum
15 non eſt. Nec aduerſatur, quòd vſuræ iure ciuili permittuntur, & ideo dicendum videtur, improbos fœneratores nulla pœna criminali puniri poſſe, cùm pœnam non mereatur, quod lege permittente fit. *l. Grachus, C. ad L. Iul. de adulte.* Permittuntur enim iure ciuili vſuræ intra modum licitum: ſupra licitum modum non permittuntur, ſed vſuræ ſupra licitum modum promiſſæ penitus illicitæ ſunt. *l. ſolutum, §. ſi in ſortem, de pignora. actio.* Rurſus

ſus non aduerſatur, quòd iure non reperitur cautum, quòd improbi fœneratores criminaliter iudicis arbitrio puniri debeant quodque idcirco puniri non poſsint, cùm iuris regula ſit, pœnam alicui indicendam non eſſe, niſi expreſſo iure cautum ſit. *l. at ſi quis, §. Diuus, de religio. & ſumptibus fun. §. cum igitur, in authen. de non eligendo ſecundò nubent. Menoch. de arbitrar. iud. quæſtio. libro 2. centu. 3 caſu 226.* Licet enim lex pœnam aliquam ordinariam criminalem non induxerit: tamen iudex extra ordinem, improbum fœneratorem, propter rationes ſuprà relatas, punire poteſt. Non obſtat iterum, quòd debitor ſciens grauiores vſuras præſtat, quodque ſcienti & volenti dolus non infertur. *c. ſcienti, de reg. iur. in 6 l. cùm donationes, C. de tranſactio. l. donum, §. ſimili quoq; modo, de contrah. empt. l. 1. in fine, de actio. empti. l. nemo videtur fraudare, de reg. iur.* Ex quo conſequenter videtur dicendum, creditorem maiores vſuras, quàm lex permittit, accipientem in ſtellionatum non incidere, cùm dolo careat, & ceſſante dolo crimen ſtellionatus ceſſat. *l. 3. ſtellionatus. Baldus conſil. 240. præſup-*

*ſuppoſito ſtatuto. in fin. lib. 2.* Etenim reſpondendum eſt, dolum ineſſe, quando modus exceditur, cùm contra legis præceptum hoc fiat. Denique non obſtat, quòd vſuræ ſupra legitimum modum ſolutæ, quaſi ſors indebita repetuntur *l. ſi non ſortem, in prin. de condictio. indeb.* Vnde videtur dicendum, improbum fœneratorem etiam dolum committentem criminaliter puniri non poſſe, cùm regula iuris ſit, ceſſare de dolo actionem, nec dolum criminaliter puniri, quando dolus commiſsus contra aliquem purgari poteſt, actione ex contractu in quo dolus interuenit. *l. & eleganter, in prin. de dolo. Baldus con. 15. ad euidentiam, libro 1. Caſtrenſis con. 411. col. 2. libro 1. Rolandus à Valle, d. con. 75. num. 31. in 1. volu. Crauetta con. 6. num. 104.* Ad hoc argumentum reſpondendum eſt, regulam ſuperiorem locum habere, quando dolus ſtat in finibus contrahendi, & materia non eſt apta ad crimen inducendum. Sed in caſu noſtro ſecus eſt, quia materia talis eſt, quæ crimen producere poſsit, cùm contra legum præcepta faciat creditor, qui grauiores vſuras accipit. *Menochius de arbitra. iud. quæſtio. libro 2. centu. 4. caſu. 398.*

Ex

Ex his relinquitur, improbum fœnerato-
rem propter improbitatem ſuam, quòd
maiores vſuras exegit, quàm legibus per-
miſſæ ſunt, pœna iudicis arbitraria puni-
ri poſſe. Hoc tamen non procedit, ſi fœ- 16
nerator conſuetudinem loci ſecutus, ma-
iores vſurus accepit, quàm lex permittit,
tunc excuſabitur. *Bartol. in l. quis ſit fugiti-
uus, §. apud Labeonem, de ædil. edicto. Decius
con. 170. col. 3. ad finem. Baldus in l. vn. in 3.
quæſtio. C. de his quæ pœnæ nomine. Iaſon in l.
1. col. antepen. in 4. quæſtio. C. de ſumma trin.
Crauetra d. con. 6. num. 103. Rolandus à Valle.
d. conſi. 75. num. 42. cum ſeq. in 1. vol.* Qui 17
enim conſuetudine permittente aliquid
facit, dolo caret *l. ſi pignore, §. fina. & ibi gl.
Bartol. & Dd. de pignor. actio. Iaſon in l. certi
condictio, §. ſi nummos, ſi cert. pete. itemq́; cul-
pa, l. pignus, & ibi gl. Bartol. Bald. & Caſtren.
C. de pigno. actio. Cotta in memorab. in litera,
C. & in bona fide eſſe dicitur, Bald. con. 370. in-
cipiente, verba reſcripti. lib. 3. Cotta in loco ſu-
pradicto.* & propterea nullo modo repre-
hendendus eſt. *Baldus in l. obſeruare, §. pro-
ficiſci quæſtio. 33. de offi. procon. vel puniendus
Bald. in l. 1. col. 3. ver. ſed quid ſi, C. de ædil. edi-
cto.* Et quamuis Imperator Iuſtinianus

*in*

*in l. eos, h. tit. n.* mandat, ne iudex, occaſione conſuetudinis in regione obtinentis, augeat taxationem vſurarum: tamen ex eo inferendum non eſt, quòd iudex punire poſsit creditorem, qui ſecundum conſuetudinem loci, maiores ſiue grauiores vſuras accepit, quàm aliàs lex permittit. Etenim conſuetudo creditorem excuſat. Et licet conſuetudo illa praua & iniqua videri poſſet: tamen nihilominus à pœna liberat. *gl. in c. cum venerabilis, & ibi Antonius de Butrio & Panormitanus ext. de conſuetud. Roma. con. 466. & ſingulari. 79. Bartol. in l. 1. in fine princi. & ibi Iaſon. colum. 1. quod quisq; iuris. Alexander con. 70 lib. 1. Tiraq. de pœnis. cauſa. 42.* Nunc ad ſextum caput tranſibimus. Sed prius vno verbo monendum eſt, quòd creditores, qui ſupra trientem ab agricolis vſuras exigunt, ius crediti amittunt, *ex Nouella conſtitutione 32.*

# CAPVT SEXTVM

## de Antichreſi.

1. *Vſurarum vicem antichreſis obtinet.*

2. De-

2. Definitio antichreſis eiusq; explicatio.
3. Antichreſis duplex eſt, expreſſa & tacita.
4. Antichreſis differt ab vſura, quia antichreſis pignus eſt: vſura non item. Antichreſis pacto conſtituitur: vſura ſtipulatione. Antichreſi pactione tacita conſtituta, vſuræ ſeruantur per retentionem fructuum rei pignoratæ: Vſura pacto promiſſa ſeruatur per retentionem rei pignoratæ.
5. Vſuris certus modus eſt præſcriptus, quem antichreſis non admittit.
6. Sed hoc de expreſſa antichreſi intelligendum, non de tacita.
7. Ab agricola rectè ſtipulor vſuram, antichreſin cum agricola non contraho.
8. Vſura non finitur ſola ſortis oblatione: antichreſin ſola ſortis oblatio ſiſtit.
9. Aduerſus vſuram currit præſcriptio triginta annorum: aduerſus antichreſin præſcriptio non currit.
10. Ingens fuit controuerſia de eo, vtrùm poſt triginta vel quadraginta annos pignus poſſit lui.
11. Bulgarus voluit, ius luendi pignoris præſcriptione tolli.

12. Ro-

12. *Rogerius contrarium ſenſit.*
13. *Rogerii opinio de iure eſt verior.*
14. *Refutatio argumentorum quæ Rogerio obſtant.*
15. *Rogerii ſententiam Camera Imperialis probat.*
16. *Res vendita cum pacto de retrouendendo plurimùm à pignore differt.*
17. *Dubitatum de eo plurimùm fuit, vtrùm præſcriptio currat, aduerſus pactum de retrouendendo.*
18. *Sed verior eſt opinio, non currere.*

1 VSurarum vicem antichreſis obtinet. *l.14.& l.17 hoc tit.* Ac poſitæ ſunt ſub hoc titulo tres leges, lex nimirum *11. d.l. 14.& d.l.17.* quæ ad antichreſin pertinent, & propterea de antichreſi nunc quàm
2 breuiſsimè agemus. Antichreſis eſt ſpecies pignoris ita dati, vt donec pecunia ſoluatur, pignore creditor vtatur fruatur in vicem vſurarum. Ita antichreſin *Iacobus Cuiatius* definit *libro 3. obſeruationum c. 35.* rectiſsimè ſanè. Nam quòd antichreſis ſit pignus aut ſpecies pignoris, conſtat *ex l.ſi pecuniam. de pignor. actio.* ibi ICtus. Martianus docet, antichreſin pignus eſſe, &

& propterea debitorem, poſt ſolutam pecuniam, antichreſin actione pignoratitia repetere poſſe. Sic enim Martianus inquit: Si pecuniam debitor ſoluerit, poteſt pignoratitia actione vti ad recuperandam antichreſin. Nam cùm pignus ſit, hoc verbo vti poterit. Sic idem ICtus Martianus, *in l. ſi is qui bona, §. 1. de pigno. & hypothec.* affirmat, antichreſin pignoris loco eſſe. Et Imperator Antoninus *in d. l. 11. hoc tit. noſtro*, antichreſin pignus appellat. Quòd verò antichreſis ea lege conſtituitur, vt donec pecunia ſoluatur, pignore creditor vtatur fruatur in vicem vſurarum, perſpicuè intelligitur *ex d. l. ſi is qui bona, §. 1. de pigno. & hypothe.* in qua Iuriſconſultus Martianus docet, antichreſin ita fieri, vt creditor, donec illi pecunia ſoluatur, in vſuras fructus percipiat. Hæc enim verba ſunt Martiani Iuriſconſulti. Idem quoque intelligitur *ex d. l. 14. & d. l. 17. hoc tit. n.* Verbi gratia: Vxor tua mille aureos mutuo dedit Titio, & ab eo pignori accepit domum, ea pactione, vt nullam habitationis mercedem præſtaret, ſed domum vice vſurarum inhabitaret. Hæc conuentio dicitur antichreſis,



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-247461-p0181-0

*d.l.14.h.tit.* Rurſus pone : Mater tua à Titio creditore mutuo accepit mille aureos; & poſſeſſionem, hoc eſt, fundum ſuum Tuſculanum ea lege Titio obligauit, vt fructus in vicem vſurarum conſequeretur. Hoc etiam negotium antichreſis ap-
3 pellatur. *d.l.17. hoc tit. noſtro.* Porrò antichreſis duplex eſt, expreſſa & tacita. Expreſſa dicitur, quando inter debitorem & creditorem expreſſè & nominatim conuenit, vt creditor re pignori data, in vicem vſurarum vteretur frueretur. Tacita antichreſis appellatur, quando nominatim non fuit dictum, vt creditor fructus in vicem vſurarum retineret. Verbi gratia: Dedi Titio mutuo mille aureos, & Titius mihi pignori dedit fundum ſuum Tuſculanum, nec quicquam inter me & Titium conuenit de fructibus in vicem vſurarum retinendis. Hoc caſu tacitè antichreſis contracta videtur, & ego fructus fundi Tuſculani vſurarum vice retinere poſſum. Et de tacita antichreſi accipienda eſt. *l. cùm debitor, in quibus cauſis pign. vel hypoth. tacitè contrah.* ibi ICtus inquit, cùm debitor gratuita pecunia vtatur, poteſt creditor de fructibus rei ſibi pignoratæ

vſuras

vſuras retinere. Nota quod Paulus ait, cùm debitor gratuita pecunia vtatur. His verbis Paulus rationem aperit, quare iure receptum ſit, vt pecunia credita & fundo pignori dato, tacitè antichreſis contrahatur, & creditor fructus rei ſibi pignoratæ in vicem vſurarum retinere poſsit. Ratio eſt quia debitor pecunia creditoris gratuitò vtitur, cùm creditor à debitore nullas vſuras ſtipulatus fuerit. Huius beneficii compenſandi & remunerandi cauſa, fundo pignori dato, id tacitè inter debitorem & creditorem actum videtur, vt creditor fructus rei pignoratæ in vicem vſurarum retineret. *d. l. cùm debitor, in quibus cauſis pign. vel hypotheca tacite contrahit.* Nec obſtat *l. 4. & l. pignoribus, hoc. tit. n.* quæ leges videntur velle, vſuras ſiue fructus rei pignoratæ non poſſe retineri niſi de iis conuenerit. Etenim iſtæ duæ leges loquuntur de retentione ipſius rei pignoratæ. Et per retentionem rei pignoratæ, ſeruantur vſuræ debitæ ex conuentione ſiue pacto, *vt ſupra v. 3. latius eſt expoſitum.* Nos hic loquimur de retentione fructuum rei pignoratæ, quorum retentio inducitur

4 tacitè ſine conuentione. Et ex his intelligimus triplex diſcrimen inter vſuram & antichreſin. Primùm, vſura non eſt pignus: antichreſis pignus eſt. Deinde vſura pecuniæ creditæ ſtipulatione conſtituitur: antichreſis pacto expreſſo & tacito *d. l. 14. h. tit. n.* Tertiò, vſura pacto promiſſa, per retentionem rei pignoratæ, ſeruatur: antichreſi pactione tacita conſtituta, vſuræ ſeruantur per retentionem fructuum rei pignoratæ. His tribus differentiis
5 etiam aliæ addendæ ſunt. Quartò ergo in eo differunt vſura & antichreſis, quòd vſuris certus modus eſt præſcriptus, ſupra quem non debentur: antichreſis modum vſuris præſcriptum non admittit. Hoc ſignificatur *in d. l. 14. & d. l. 17. hoc tit. noſtro.* In *d. l. 14.* vxor quæ mutuam pecuniam dederat, pacta eſt, vt domum vice vſurarum inhabitaret. Hîc vxor, ſi volet, poteſt domum alteri locare, conductori enim ſimilis eſt, qui domum conductam alteri locare poteſt, etiamſi id dictum non fuerit, vt conſtat *ex l. 6. C. de locato & conducto.* in qua Alexander ita reſcripſit: Nemo prohibetur rem quam conduxit fruendam alii locare, ſi nihil aliud conuenit. Et ſi

vxor

vxor domum alteri locauit, & ex mercede, plus redegit quàm fert modus vſurarum legitimus, id quod amplius eſt, & modum vſurarum legitimum excedit, ſorti imputatur. Hoc ſignificat Imperator *in d. l. 14. tit. n.* his verbis: non etiam locando domum penſionem redegit, & clarius expreſsit *Conſtantinus Harmenopulus libro 3. epit. tit. h. 5. de antichreſi*, his verbis: ἐὰν μισθώσας τὸν οἶκον, λαμβανη τό μίσθωμα, τοτε εἴτι ὑπὲρ τὸν νόμιμον τόκον δυνηθῆ λαβεῖν, οὗτο εἰς κεφάλαιον λογίζονται, hoc eſt, ſi domo locata penſiones ex ea redegerit, tum ſanè ſi quid ſupra legitimum vſurarum modum percipere potuit, id omne in ſortem imputatur. Quòd ſi vxor pacto, ita vt conuenit, vſa eſt, h. e ſi ipſa domum inhabitauerit, licet ea habitatio pluris æſtimetur, quàm legitimus vſurarum modus ferat, & domus pluris locari potuiſſet, quàm legitima vſurarum ratio efficiat: tamen conuentio ſeruabitur, nec illicitum fœnus contractum eſſe, ſed domus potius vilius conducta videbitur. Et hæc eſt ſententia *d. l. 14. h. tit. n.* In *l. 17. h. tit. n.* mater creditori ſuo pignori dedit fundum,

 dum,

dum, ea lege, vt creditor fructus in vicem vſurarum conſequeretur. Hæc conuentio ſeruanda eſt, etiamſi fructuum emolumentum, legitimum modum vſurarum excedere poſsit. *d.l.* 17. Antichreſis igitur modum vſuris præſcriptum non ſeruat. Et hoc de expreſſa antichreſi intelligen-
6 dum eſt. Aliud dicimus de antichreſi tacita, illa intra legitimum modum continetur, nec legitimum vſurarum modum excedere poteſt. *d.l. cùm debitor*, in quibus cauſis pign. vel hypotheca tacitè contra-
7 hitur. Quinto in eo differt vſura ab antichreſi, quòd de agricola rectè ſtipulor vſuram: antichreſin cum agricola contrahere non poſſum. *Nouella.* 32. *&* 33.
8 Sextò vſura non finitur ſola ſortis oblatione, *l. acceptam, h. tit. n.* Antichreſis ſola ſortis oblatione perimitur, *l.* 11 *h. tit. n.* ſicu-
9 ti latius in vltimo capite dicemus. Denique aduerſus vſuram currit præſcriptio triginta annorum, & debitor qui intra triginta annos vſuras non ſoluit, poſtea eas ſoluere non tenetur, vt in præcedenti capite expoſitum eſt: aduerſus antichreſin præſcriptio non currit. Et quamuis debitor intra triginta annos pignus non
rede-

redemerit, nihilominus tamen non obſtante præſcriptione, pignus redimere poteſt, quod aliquantò plenius, breuiter tamen, cùm quotidianum ſit, excutiemus, ſecundum l. legaui, de liberatio. legat.
Sciendum ergo eſt, ingentem inter interpretes noſtros controuerſiam de eo eſſe, vtrùm debitor poſt triginta vel quadraginta annos pignus luere, hoc eſt, pecuniam debitam ſoluere, & pignus per actionem pignoratitiam repetere poſſit, an verò à iure luendi pignoris, per præſcriptionem triginta vel quadraginta annorum, ſubmoueatur, ita vt poſt triginta vel quadraginta annos pignus amplius luere non poſsit. Pone: Titius mille aureos mutuo accepit à Sempronio, & Sempronio pignori dedit fundum vel ſimpliciter, vel ea lege, vt Sempronius fundo vteretur fruetur in vicem vſurarum. Titius intra triginta vel quadraginta annos pignus non luit, hoc eſt, pecuniam debitam non ſoluit, nec pignus repetiit: poſt triginta vel quadraginta annos vult luere, itaque creditori Sempronio pecuniam offert, & petit, vt Sempronius fundum ſibi 10

reſtituat: Sempronius pecuniam accipere recuſat, dicens: Titium ius luendi pignoris, cùm intra triginta vel quadraginta annos pignus non redemerit, non amplius habere. Quæritur quid iuris ſit, vtrum Titius poſt triginta vel quadraginta annos pignus adhuc luere, h. e. pecuniam Sempronio ſoluere, & ſoluta pecunia per actionem pignoratitiam pignus repetere poſſit: an verò Titio obſtet præſcriptio tri-
11 ginta vel quadraginta annorum? Et quidem antiquus interpres Bulgarus tradidit, ius luendi pignoris præſcriptione triginta annorum tolli *in l. cùm notiſſimi, §. 1. de præſcriptio. 30. anno.* & Bulgarum ſecutus eſt Accurſius *in l. pignori, de vſurpatio. et vſucap.* Accurſium complures alii, vt apud Henningum Goden *con. 109. nu. 212. cum multis ſequentib. & Balbum in tractatu de præſcriptio. in quarta parte quintæ principalis in 2.*
12 *quæſtio.* videre licet. Contrà *Rogerius antiquus gloſſator* dialogum ſcripſit *de præſcriptio.* in quo defendit, ius luendi pignoris præſcriptione triginta vel quadraginta annorum non tolli. Et hanc ſententiam *Martinus gloſſator* probauit. Poſt Martinum & alii complures in Rogerii ſen-

rii ſententiam iuerunt. *Henningus Gode d. con. 109. num. 232. cum ſequentib. Balbus in d. tractatu de præſcriptionibus, in quarta parte quintæ principalis in 2. quæſtio.* Et nouiſsimè Rogerii ſententiam ſecutus eſt *Cuiacius in d. l. pignori, de vſurpatio. & vſucapio. & in paratitlis ad tit. C. de præſcriptio. triginta vel quadraginta annorum.* Et hæc poſterior Ro- 13
gerii opinio de iure verior eſt, propter ſequentes rationes. Primum enim ius luendi pignoris, hoc eſt, ſoluendi pecuniam & repetendi pignus, non tam ius eſt, quàm facultas quædam poſita in arbitrio debitoris, qua debitor, quandocunq; vult, vti poteſt. Quæ autem facultatis meræ ſunt, nullo tempore præſcribuntur. *Crauetta de antiquita. tempo. 4. parte, §. materia iſta, num. 98. Couarru. in c. poſſeſſor, de reg. iur. in 6. in 2. parte relection. §. 4. num. 6. Anton. Gabriel. Roman. libro. 5. commun. concluſ. titulo de præſcriptio. concluſ. 10.* Deinde creditor, qui pignus accepit, pro alieno poſsidet. *l. pignori, de vſurpat. & vſucap.* hoc eſt, non ſibi poſsidet pignus, ſed debitori ſuo, nec poteſt ſibi creditor cauſam poſſeſsionis mutare, cùm regula iuris ſit, neminem ſibi cauſam poſſeſsionis mutare poſſe. *l.*

*non ſolùm, §. quod vulgò, de vſurpat. & vſucap. l. 3. §. illud quoque, l. quod meo, & l. qui bona, §. fina. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. l. vlt. ſi pars heredi. petatur.* Inde ſequitur, creditorem pignus non præſcribere, nec debitorem, quo minus oblata pecunia debita, pignus ſuum recipiat, vlla temporis præſcriptione repellere poſſe, *l. 2. & 7. §. vlt. C. de præſcript. triginta annorum.* Denique pignus plerumque pluris eſt quàm debitum, & ſi creditor pignus præſcriberet, plus conſequeretur quàm ſibi deberetur. At hoc eſſet abſurdum. Sequitur igitur creditorem pignus præſcribere non poſſe, & ob hanc poſtremam rationem receptum eſt, vt in pignoribus locum non habeat lex commiſſoria, vt ad diem pecunia non ſoluta, creditor pignoris domi-
14 nus efficiatur, *l. vlt. C. de pact. pigno.* Nec his quicquam obſtat, quòd in vno correlatiuorum ſtatutum, obtinere quoque debeat in altero *l. vlt. C. de indicta viduita. toll.* Sed ita eſt, quòd creditor actione hypothecaria cadit quadraginta annis *d. l. cùm notiſsimi: C. de præſcriptio. triginta ann.* Ergo & debitor pignoratitia quadraginta annis excidit. Ad hoc argumentum reſpon-

ſpondendum eſt, non ſtatui in vno correlatiuorum quod in altero, quando ratio eſt diuerſa. *Tiraqu. de vtroque retractu, §. 9. gl. 1. num. 3. & 4. Roland. à Valle con. 34. in 3. volu.* At hîc inter creditorem & debitorem eſt ratio diuerſa. Etenim creditor, pecunia mutuo data & fundo pignori obligato habet actionem hypothecariam, per quam pignus perſequi poteſt: ea ſi aduerſus debitorem eiuſque heredes intra quadraginta annos non vtatur, meritò iure ſuo cadit, & ſibi imputet creditor, quòd non egit actione hypothecaria cum ea, vtpote quæ nata iam fuit, experiri potuiſſet. At ſi debitor, qui pecunia mutuo accepta fundum pignori dat, non habet actionem pignoratitiam, ſed ea tunc demum naſcitur, quando debitor pecuniam debitam creditori ſoluit. Inde ſequitur, actionem pignoratitiam præſcribi non poſſe, cùm quod non eſt, non præſcribatur. Priuatio namque, qualis eſt præſcriptio, præſupponit habitum, *§. ſeruus, Inſtitut. de liberti. l. decem, & ibi Bartol. & Dd. de verb. obligat. Eberhardus in topicis, in loco à priuatione ad habitum*, & non entis, vt vulgò dici-

dicimus nullæ ſunt qualitates. *l.2.de vſur. l 4.locati, l.adeò §.quòd ſi toto, de acquir. rer. domin.* Rurſus non obſtat, quòd debitor intra triginta annos potuiſſet pignus luere, & ſic pignoratitiam actionem ſibi gignere Hoc igitur cùm non fecerit, cùm facere facilè potuerit, meritò ipſi præſcriptio obſtabit. .Hoc argumentum malè concludit, vt ex ſimili intelligi poteſt Etenim filius familias à patre facilè impetrare poteſt, vt pater agendi facultatem & poteſtatem ſibi faciat. Hoc tamen ſi filiusfamilias non fecerit, non obſtat prætерea filiofamilias præſcriptio *l.1.§.vlt.C. de anna.exceptio.* Ad eundem ergo modum debitori non obſtabit præſcriptio, qui pignoratitiam actionem ſibi non genuit, cùm facilè ſoluta pecunia gignere illam ſibi potuiſſet. Hoc amplius, non obſtat *l.4.C.de præſcript.triginta annor.* in qua dicitur, omne ius priuatum & publicum in quacunq; cauſa vel quacunq; perſona quadraginta annorum iugi ſilentio extingui. Nam hoc de iure actionis intelligendum eſt, & omne ius actionis extinguitur quadraginta annis: non de luitionis iure, quod etiam non tam ius eſt,

quàm

quàm facultas & poteſtas quædam, vt ſup. dictum eſt. Sanè ſi debitor poſt ſolutam pecuniam, atq; ita natam pignoratitiam actionem, intra quadraginta annos pignoratitia non agat, poſtea pignoratitia agere & pignus repetere non poterit, cùm ius agendi præſcriptione ſit extinctum. Deniq; non obſtat. *l. nec creditores, & l. vlt. C. de pignor. actio.* in quibus dicitur, actionem pignoratitiam debitori competentem non perimi longi temporis præſcriptione. Ergo præſcriptione longiſſimi temporis triginta vel quadraginta annorum perimitur. Ad has leges reſpondendum eſt, loqui eas de actione pignoratitia iam nota. Naſcitur actio pignoratitia, pecunia à debitore ſoluta. Hæc actio non perimitur longo tempore, hoc eſt, decem & viginti annis. Longiſsimo autem tempore, hoc eſt, triginta vel quadraginta annis perimitur, vt ſup. monui. Relinquitur igitur ex his, luitionibus pignorum, nullam obſtare præſcriptionem, & hæc ſententia magis eſt communis, vt atteſtatur *Antonius Gabrielius Romanus libro 5. commun. concluſ. titulo de præſcriptionib. concluſ. 7.* vbi pro negatiua, itemq; contra-

ria

ria affirmatiua opinione plurimas inter-
pretum noſtrorum authoritates adfert.
15 Eandemque ſententiam, quod luitionibꝰ
pignorum non præſcribatur, domini aſſeſ-
ſores in ſuprema curia probârunt. *Andreas
Geiel. in pract. obſeruatio. libro 2. obſeruatio.
18. Mynſingerus in obſeruationib. in 1. centu.
obſeruatio. 16.* In dictis obſeruationibus
dominus Andreas Geiel, itemque Myn-
ſingerus non ſolùm de iure luendi pigno-
ris, verùm etiam de pacto retrouenditio-
16 nis loquuntur. Res quæ vendita eſt cum
pacto de retrouendendo, non eſt pignus,
ſed plurimùm à pignore differt, quemad-
modum primùm diuerſitas contractuum
oſtendit. Aliud enim eſt venditio, aliud
pignus, vt in ſimili ab Imperatore reſcri-
ptum eſt *in l. ſi idem, C. de codicil.* Dein-
de res vendita cum pacto de retrouen-
dendo, ſi venditor dominus fuit, tranſit
in dominium emptoris. Venditor quidem
non tenetur rem venditam emptoris fa-
cere, ſed ſatis eſt, ſi rem ipſam præſtet,
hoc eſt, tradat, *l. 1. de rer. permuta. l. ex
empto, in prin. de actio. empt. l. ſi duo patroni,
§. ſi quis iurauerit, de iureiuran.* Verùm re
tradita, emptor dominus efficitur, ſi ven-
ditor

ditor dominus fuit *d. l. ex empto, de actio. empti.* At creditor pignoris dominium non conſequitur, ſed dominium debitoris manet, *l. cùm & ſortis, §. fin. de pignor. actio.* ibi ICtus inquit: Pignus manente proprietate debitoris, ſolam poſſeſsionem transfert ad creditorem. Inde tertium diſcrimen ſequitur, pignus quia in dominio ſiue in bonis debitoris permanet, debitori perit. *l. pignus, C. de pignor.* Res vendita emptori perit, *§. cum autem, Inſtitut.* de emptione & venditio. Quartò, emptor rem emptam ſibi poſsidet: creditor pignus poſsidet pro alieno, *l. pignori, de vſurpat. & vſucap.* Quintò, emptor rem emptam vſucapit, ſi venditor dominus non fuit, toto titu. pro emptore: creditor pignus vſucapere non poteſt. *d. l. pignori, de vſurpat. & vſucap.* Emptor denique omnes fructus rei emptæ conſequitur. *Hartmannus Hartmanni in practi. obſeruatio. lib. 2. c. 4. de pacto de retrouendendo,* creditor fructus rei pignoratæ non conſequitur, ſed fructus primùm in vſuras imputat, *l. cum debitor, in quib. cauſis pign. vel hypothe. tacitè contrah.* deinde in ſortem, *l. 1. & 2. C. de pignor. actio.* niſi conuener

nerit, vt creditor fructus in vicem vſurarum retineret, quæ conuentio antichreſis appellatur, vt ſup. expoſitum eſt. Poſſent & aliæ differentiæ inter pignus & rem venditam cum pacto de retrouendendo addi, ſed nos dictis differentiis contenti hoc loco erimus, ex iisque intelligimus, rem venditam cum pacto retrouenditionis pignus non eſſe. Sicuti autem de pignore dubitatum fuit, vtrùm iuri luendi pignoris præſcribi poſsit: ita quoque dubitatum de eo fuit, vtrùm aduerſus pactum de retrouendendo præſcriptio aliqua currat. Et plurimi ex interpretibus
17 noſtris tradiderunt, pacto de retrouendendo præſcribi poſſe, etiam tunc quando dictum fuit, vt venditori, quandocunque vellet, liceret rem venditam rurſus emere, vt prolixè videre licet apud Anton. Gabriel. Roma. *libro 5. commu. concluſ. titulo de præſcriptio. concluſ. 6. & Couarru. lib. 1. varia. reſolutio. c. 9. Balb. in tractatu de præſcriptio in quarta parte quintæ principal. in 3.*
18 *quæſt.* Et quamuis hæc ſententia magis ſit communis, vt teſtatur *Anton. Gabriel. Roma. d. concluſ. 6. num. 11.* tamen contraria ſententia de iure verior eſt, eamque domini

ni aſſeſſores in ſuprema curia ſequuntur. *Andreas Geiel d.obſerua. 8. Myņſingerus d.obſeruat. 16. Lipſenſes quoq; & Vitebergenſes*, licet ante paucos annos diuerſimodè de præſcriptione iuris luendi & pacti de retrouendendo pronuntiârunt: hodiè tamen vno eodemq; modo pronunciant, præſcriptionem ſcilicet aduerſus ius luendi pignoris & pactum de retrouendendo non currere, vt ex conſtitutione Electoris Auguſti conſtat, quæ extat *in 2. parte, conſtit. 1.* Verba eius conſtitutionis hæc ſunt: Es ſeind in dieſer Frage bey den Rechtslehrern zweyerley meinungen/ Deñ etzliche halten/ daß die verjährung ſtatt haben ſolle/ Die andern aber ſchlieſſen darauff/ daß keine præſcriptio darinnen zuleßlich ſey. Dieweil dan vnſere Juriſten Faculteten vnd Schöppenſtüle derenthalben auch vngleich geſprochen/ So haben wir jnen durch vnſere verordente Räthe aufferlegen vnd ſie mit einander vergleichen laſſen/ nach dieſer opinion, ſo an dem Keyſerlichen Camergericht vnd vnſerm öbern Hoffgericht

gericht zum theil gehalten/zuerkennen/ Nemblichen/ daß in beyden fellen des pfands vnd wiederkauffs halben/ eine verjährung oder præſcription durchaus/auch hundert vnd mehr jhärige nicht ſtat habe/ ſondern zu jeder zeit ein verpfandt oder widerkeufflich verkaufft gut/krafft vnd inhalts des auffgerichteten erwieſenen contracts gelöſet oder wider erkaufft werden müge. Et hæc de ſexto capite dicta ſufficiant.

# CAPVT POSTREMVM

## Quando vſura itemq; Antichreſis deberi deſinant.

1. *Vſuræ deſinunt deberi tribus modis.*
2. *Primùm, ſi ſors ſoluta fuerit.*
3. *Sed hoc de tota ſorte ſoluta accipiendũ eſt.*
4. *Vſura deſinit deberi acceptilatione ſortis.*
5. *Secundò vſuræ deſinunt deberi oblatione, conſignatione & depoſitione ſortis.*
6. *Hæc enim tria pro ſolutione ſunt.*
7. *Oblatio debet fieri teſtibus præſentibus.*
8. *Ac oportuno tempore & loco.*

9. Con-

9. Conſignatio debet fieri ſacculo obſignato ſignatorum ſignis.
10. Depoſitio in publico.
11. Pecunia oblata, ſed non conſignata nec depoſita, debitor ab vſuris non liberatur.
12. Forma eſt ſeruanda.
13. Pecunia conſignata & depoſita ſed non oblata, debitor non liberatur ab vſuris.
14. Antichreſis ſola oblatione finitur.
15. Sola oblatio liberat debitorem à periculo.
16. Sola oblatio liberat à collatione publicarum penſitationum.
17. Sola oblatio vſurarum minorum liberat à maioribus.
18. Si defuerit cui offeratur, tunc ſola depoſitio pecuniæ ſufficit.
19. Poſtremò vſuræ deſinunt deberi, ſi ſortem æquauerint.
20. Olim vſuræ per tempora ſolutæ non proficiebant ad dupli computationem, hodie ſecus eſt.
21. Supra duplum vſuræ non ſeruantur, etiam per retentionem pignoris.
22. Antichreſis deberi deſinit ſolutione ſortis.
23. Antichreſis non ſiſtitur, ſi reditus, quos creditor percepit, ſortem æquauerint.

24. *Vſuræ debitæ ex pacto in continenti adiecto petuntur actione ex contractu deſcendente.*

25. *Vſuræ debitæ ex ſtipulatione petuntur certi condictione.*

26. *Vſuræ debitæ ex pacto petuntur actione competente ex conſtitutione Alexandri.*

27. *Vſuræ debitæ ex mora petuntur actione bonæ fidei, per quam pecunia, quæ debetur, petitur.*

28. *Reo in ſortem condemnato, vſuræ peti vltra non poſſunt.*

29. *Rei iudicatæ exceptio non proficit ei, contra quem iudicatum eſt.*

SIcuti in rerum natura non omnia temerè enaſcuntur, nec rurſus temerè emoriuntur, ſed omnia certis modis naſcuntur, certis etiam modis iterùm intereunt: ita quoq; fit in arte, quæ naturam quantum fieri poteſt, imitatur. *§. minorem, Inſtit. de adoptio.* Cùm igitur ſuprà diximus, certas eſſe iure ciuili receptas cauſas, ex quibus vſuræ debentur, nunc poſtremo loco monendum eſt, certos etiam eſſe modos, quibus vſuræ deberi deſinunt.

1 Deſinunt autem vſuræ deberi tribus modis,

dis, ſolutione ſortis, vel oblatione, conſi-
gnatione & depoſitione ſortis, ſi creditor
ſortem ſuſcipere recuſauerit, vel denique
ſi vſura ſortem æquauerit. De his modis
quàm breuiſsimè dicemus. Primùm vſu- 2
ra ceſſat, nec amplius debetur, ſi ſors ſo-
luta fuerit, vt: ſi à te mille aureos mutuo
accepi, ſub vſuris ſemiſsibus, ſorte ſoluta,
hoc eſt, mille aureis ſolutis, vſuræ non am-
plius currunt, ſed ceſſant. Ratio ex defini-
tione vſurarum *ſup. c. 1.* tradita, petenda
eſt. Ratio eſt, ſors eſt principale: vſura
eſt acceſſorium ſortis. Inde ſequitur, ſorte
ſoluta, extingui acceſſorium, & vſuram
non amplius deberi per regulam vulga-
tam *in c. acceſſorium, de reg. iur. in 6. & l.*
*cum principalis, de reg. iur.* Et hæc de tota 3
ſorte ſoluta intelligenda ſunt. Si pars tan-
tum ſortis ſoluta fuerit, eius partis, quæ
ſoluta eſt, vſuræ non amplius debentur.
Alterius autem partis, quæ ex ſorte reſi-
dua eſt, vſuræ peti poſſunt. Ac ſoluitur
pars ex ſorte, volenti tantum creditori,
non etiam inuito, *l. tutor condemnatus, § 1.*
*de vſuris.* propterea quòd particularis ſo-
lutio non minima incommoda habet. *l. 3.*
*famil. herciſc.* Et quæ de ſolutione ſortis 4

dicimus, eadem intelligenda ſunt de acceptilatione ſortis. Acceptilatio enim imaginaria eſt ſolutio, vt Iuſtinianus ait *in §. 1. Inſtit. quibus mod. toll. oblig.* Si ergo mille aureos, quos à te mutuo accepi, mihi accepto tuliſti, perinde liberor ac ſi ſoluiſſem: at liberor non ſolùm à ſorte ſed etiam ab vſuris. Nec enim poſt factam acceptilationem ſortis, vſuras vllas tibi
5 præſtare teneor. Deinde vſuræ deberi deſinunt oblatione, conſignatione & depoſitione ſortis. Ita enim traditum eſt *in l. ſi creditrici, & l. ſi per te, in fine, & l. acceptã, h. tit. n.* In *d. l. ſi creditrici.* debitor creditrici pecuniam debitam cum vſuris obtulit, & creditrice pecuniam non accipiente, obſignatam eam depoſuit. Ab Imperatore Antonino eſt reſcriptum, debitorem ab eo tempore, quo pecuniã obtulit, vſuras præſtare non cogi. In *d. l. ſi per te, in fine* dicitur, debitorem, qui ſortem oblatam depoſuit, exinde ex quo id factum apparuerit, in vſuras non conueniri. Hoc reſcriptum quodammodò cum ſuperiori pugnare videtur. In ſuperiori ſiquidem reſcripto dicitur, vſuras non deberi ex tempore oblationis. In hoc poſteriori reſcripto

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-247461-p0202-8

ſcripto affirmatur, vſuras non deberi ex tempore depoſitionis. Sed cum vtrumq; reſcriptum eiuſdem ſit Imperatoris Antonini, contraria Imperatorem reſcripſiſſe. minimè putandum eſt. Sic ergo dicemus, oblationem, conſignationem & depoſitionem vno contextu fieri, & propterea nihil referre, vtrum dicamus, vſuras non deberi ex tempore oblationis, an verò ex tempore depoſitionis. In *d.l.acceptam, Philippus Imperator* reſcripſit Hyeremiæ in hunc modum: Acceptam mutuo ſortem cum vſuris licitis, creditoribus offeras. At ſi non ſuſcipiant, conſignatam in publico depone, vt curſus legitimarum vſurarum inhibeatur. Hæc igitur tria, oblatio, conſignatio & depoſitio curſum legitimarum vſurarum ſiſtunt. Pro ſolutione quippe ſunt, & ſolutio appellantur, *in l.9. C.de ſolutio.* Offerre autem debitor dicitur pecuniam, non quando dicit, ſe paratum eſſe pecuniam ſoluere, ſed quando pecuniam debitam ad creditorem perfert, & pecuniam creditori præſentat. Ita communiter Dd. tradiderunt *in l. ſi mora, ſoluto matrimo. AEmyl. Ferrettus in tractatu de mora. num.28. Duarenus in d. l. ſi mora, ſoluto matrimonio.*

7 Ac debet fieri oblatio teſtibus præſentibus. Hoc nominatim expreſſum eſt ab Antonino Imperatore *in d.l.ſi creditrici,hoc tit. noſtro.* Sic enim inquit Imperator: Si obtuliſti pecuniam teſtibus præſentibus. Hoc ipſum etiam ſignificare vult Philippus Imperator *in d.l.acceptam, hoc tit.noſtro,* in qua reſcripſit,debitorem ſortem offerre debere, poſt conteſtationem. His verbis, poſt conteſtationem, ſignificatur, teſtibus adhibitis oblationem ſortis fieri
8 debere. Hoc amplius,non ſatis eſt, pecuniam offerri in præſentia teſtium, ſed requiritur quoque, vt oblatio fiat oportuno tempore & loco. Si inoportuno tempore & loco pecunia offeratur, creditor pecuniam oblatam accipere non tene-
9 tur.*l.ſi ſoluturus,& l.creditor,de ſolutio.* Conſignatio pecuniæ debet fieri ſacculo obſignato ſignatorum ſignis,vt Scæuola ICtus
10 loquitur *in l.fin.de lege commiſſo.* Depoſitio in publico, hoc eſt,vel in ſacratiſsimis ædibus,vel vbi competens iudex,ſuper ea re aditus,deponi pecuniam diſpoſuerit. Ita publicum interpretatur Imperator *in d l. acceptam,hoc tit. noſtro.* Et integram ſummam deponi neceſſe eſt. *Ripa in l. quod te,*

*num*

*num. 22. ſi certum pete. Menochius lib. 2. de arbitra. iud. quæſt. centu. 3. caſu. 232.* Quòd ſi 11
debitor pecuniam mutuo acceptam creditori quidem obtulit, eam tamen non conſignauit, nec integram depoſuit, ab vſuris non liberabitur. Debitor enim formam à iure præſcriptam non ſeruauit. Et forma non ſeruata actus eſt nullus. *l.* 12
*cum hi, § ſi prætor, de tranſactio. l. conſtitutionibus, ad municipalem. l. certa forma, C. de iure fiſci lib. 10.* & omiſsio formæ etiam in minimo totum vitiat. *Baldus & Imola. in l. 1. de libe. & poſtum. Matth. de Afflictis in conſtitu. Neapolita. Rubrica 17. num. 6. & 7. libro. 1. Tiraq. de vtroque retractu libro. 2. §. 4. gl. 6. num. 31. & gl. 7. num. 15. & in tracta. de iudicio in rebus exiguis ferendo, mihi fol. 51.* Et 13
propter formam non ſeruatam ſimiliter dicemus, debitorem, qui pecuniam conſignauit & depoſuit, creditori tamen non obtulit, ab vſuris non liberari, quod diſertè etiam traditum eſt *in l. 2. hoc tit. n.* ibi emptor, cui poſſeſsio rei tradita eſt, pretium venditori non obtulit, pecuniam tamen obſignauit & depoſuit, & ab Imperatoribus Seuero & Antonino reſcriptum eſt, emptorem vſuras æquitatis ratione

præſtare cogi. Sed obiicitur, quòd creditor de fructibus rei pignoratæ vſuras poteſt retinere. *l. cum debitor, in quibus cauſis pign. vel hypothe. tacite contrah.* Creditor autem, poſt ſolam oblationem pecuniæ à debitore factam, vſuras non lucratur, *l. ex prædiis, hoc titulo noſtro.* ibi ab Antonino Imperatore reſcriptum eſt, creditorem poſt oblatam ſibi iure pecuniam, quam non accepit, fructus perceptos ex prædiis pignori obligatis, non lucrari, ſed computare fructus in ſortem, ac fructus ſortis debitum exonerare. Inde igitur videtur dicendum, ſolam oblationem pecuniæ à debitore congruo tempore & loco factam, curſum vſurarum inhibere. Ad hanc obiectionem reſpondendum eſt ad hunc modum: vtramq; legem, & *l. cùm debitor, in quibus cauſis pign. tacitè contrah.* & *l. ex prædiis, hoc tit. n.* loqui non de vſuris, ſed de antichreſi, vt capite proximè præ-
14 cedenti etiam monui. Vſura ſola oblatione non finitur: antichreſin ſola oblatio conſumit. Et creditor, poſt oblationem pecuniæ à debitore factam, fructus rei pignoratæ, quos ex conuentione expreſſa vel tacita, in vicem vſurarum percipiebat,

bat, non amplius percipit aut lucratur, ſed fructus in ſortem computat, atque ita nuda ſiue ſola oblatio pecuniæ debitæ antichreſin ſiſtit, vſuras non item. *d. l. ex prædiis hoc tit. n.* Et hic vnus eſt effectus nudæ oblationis. Habet & alios effectus nuda ſiue ſola oblatio. Et- 15
enim oblatio ſola pecuniæ debitæ liberat debitorem à periculo, & facit vt periculum pecuniæ debitæ tranſeat in creditorem, qui moram fecit in accipiendo. *l. ſi ſoluturus, & l. creditor, de ſolutio.* Et quidem liberatur debitor, re poſt oblationem perempta ipſo iure, ſi ſit iudicium bonæ fidei, vel per exceptionem doli mali, ſi ſit iudicum ſtrictum ex ſententia Proculianorum quæ obtinuit, *l. qui decem, de ſolutio. l. huiuſmodi, §. ſi cui homo, de legat.* 1. *l. interdum, §. fin. de verb. oblig.* reiecta ſententia Sabini, qui putabat etiam in iudiciis ſtrictis, re poſt oblationem perempta, debitorem ipſo iure liberari. *l. ſtipulatus ſum, de verborum obligatio.* Hoc Amplius, ſola oblatio libe- 16
rat à collatione publicarum penſitationum. *l. 1. C. de ſuſcepto. libro 10.* quod notandum eſt, cùm ſecus ſit in priuato-

rum

rum cauſis. Etenim ſola oblatio debitorem non liberat, niſi oblationem pecuniæ oblatæ peremptio ſequatur, vt ſupra di-
17 ctum eſt. Deniq; ſola oblatio vſurarum minorum liberat à maioribus. Verbi gratia: Promiſſæ ſunt vſuræ minores, & ſi ad diem non ſoluerentur maiores: minoribus vſuris oblatis ad diem dictum, maiores non debentur, etſi minores vſuræ non fuerint depoſitæ. *l. ſi per te non ſtat, hoc tit. noſtro.* Hos effectus ſola oblatio parit. At ſola oblatio non facit, vt vſuræ deberi deſinant, ſed ad oblationem accedere oportet conſignationem & depoſitionem pecuniæ. Sed rurſus obiicitur. *l. euictis agris, § fina. de vſur.* ibi venditor poſt traditam poſſeſsionem defunctus eſt, & Iuriſconſultus docet, emptorem vſuras pretii, quod in cauſa depoſiti non fuit, præſtare debere. Nota hæc verba, quod in cauſa depoſiti non fuit. Iis verbis ICtus ſignificat, emptorem non teneri præſtare vſuras pretii, ſi pretium depoſuerit. Sola igitur depoſitio ab vſuris liberat, nec neceſſaria eſt oblatio pecuniæ debitæ vel conſignatio. Reſpondeo: Oblatio pecuniæ omninò neceſſaria eſt, vt ante dictum eſt,
ſicuti

ſicuti & conſignatio pecuniæ. Verùm ſi 18
defuerit, cui pecunia debita offeratur, tunc ſola depoſitio pecuniæ ſufficit, & ab vſuris liberat: atq; ita *in d.l.euictis, §. fin. de vſur.* venditor defunctus, qui poſſeſsionem tradiderat, ſucceſſorem non habuit, cui pretium rei venditæ & traditæ offerri potuiſſet, quemadmodum ICtus ſignificat his verbis: cui ſucceſſor incertus fuit, & propterea emptor ab vſuris liberatur, ſi pretium deponat: Si pretium non deponat, vſuras pretii præſtabit. *d. l. euictis, §. fina. de vſur.* Sic Imperator Antoninus *in d.l.ſi creditrici, in fin. hoc tit. noſtro* docet, quòd creditore abſente pecunia deponi debeat. Sic enim inquit: abſente creditrice præſidem interpellare debueras Depoſitio fit in æde ſacra, vel vbi competens iudex ſuper ea re aditus diſpoſuerit. *l. acceptam, h. tit. n.* Cùm igitur Imperator reſcribit, creditrice abſente præſidem interpellari debere, hoc vult dicere Imperator, authore iudice pecuniam deponi debere. Poſtremò vſuræ deſinunt deberi, ſi 19
ſortem æquauerint. Et hoc eſt, quod ICti & Imperatores dicunt, ſupra duplum vſuras non deberi. *l. penult. §. vlt. h. tit. n. l. ſi*

*non*

*non ſortem,§.ſupra duplum,de condict. indeb.* In duplo computamus ſortem ipſam, vt intelligitur *ex l. vſuræ,hoc tit.n.* in qua Imperator dupli mentionem facit,& mox ſubiungit, vltra ſortis ſummam vſuras non exigi. Sors igitur & vſura, quæ ad ſortis ſummam aſcendit, duplum conſtituunt, & vſura ſupra duplum non debetur, hoc eſt, non amplius debetur, ſi ſortem æquauerit. Verbi gratia: Titius dedit mihi mutuo mille,ea lege, vt quotannis vſurarum nomine ipſi ſoluerem quinquaginta. Hic vſuræ tam diu debentur,donec ſortem æquauerint,vbi ſortem æquarunt, non amplius debentur. AEquabunt autem vſuræ ſortem intra viginti annos. Poſt viginti igitur annos vſuræ non amplius debentur. Olim quidem vſuræ per tempora ſolutæ non proficiebant reo ad du-
